
VALENTIS ACIDALII IN Q. CVRTIVM ANIMADVERSIONES.

QVIBVS SVPERSTITES SCRIPTORIS eius omnes libri post accuratam Fr. Modij censuram plurimis etiam locis, alijque nonnulli quibusdam obiter, emendantur, illustrantur.









FRANCOFVRTI AD MOENVM.

M. D. XCIIII.



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO, DN. ANDREÆ EPISCOPO VRATISLAuiensi supremo Silesiarum Præfecto Cæsareo, dedicat consecratque



VALENS ACIDALIVS.

IN tanta hodie & scriptorum & librorum non copia, sed abundantia, quanta post literas natas nata nunquam fuit, sæpe mecum ego, Reuerendissime & Illustrissime Præsul, de seculi nostri fertilitate dicam, an luxuria in hoc genere, tum contrà de rebus ipsis & scribendi legitimis argumentis soleo cogitare. De illa quid sentiam, & in futurum quid ominer, apud



me premere tacitus malo, quam in vulgus promere, ne malorum augur & vates importunus habear, quem multi non sine irrisu & cum sententiæ nostræ insectatione sint audituri. Equidem prudentium esse neminem puto, qui per se non videat; neminem bonorum, qui non doleat, & quo illa tandem, & quàm certò, nostraq; fortaßis etiam opinione citius e-ruptura sit scribendi quidlibet & edendi licentia, ni in tempore adhuc, latißime iam grassanti tamē, neq; minus indies crescenti malo obuiam eatur. Erat hæc principum & magistratus cura, quorum auctoritate & legibus solùm comprimi effusa & vaga libertas potest:

potest: neq; rationem inire difficile sit, qua coerceatur eadem commodè, frenisq́; velut iniectis teneatur intra certos gyros, quos minime liceat emigrare. Sed hic dux & auctor opus est Germaniæ, qui initio facto reliquis exemplum ostẽdat saltem, quorum nemo tam est saluti literarum infensus, nemo temporum suorum tam non studiosus & securus posteritatis, cui illa scriptionibus hodiernis, pudet me dicere qualibus plerisq;, traducuntur; nemo deniq; publicæ iã nunc quietis ita negligens, quin recte præeuntem vnum aliquem certatim cum æmulis omnibus sequatur. Hic vt exsistat aliquando iam tãdem, cum eruditis mul-

tis voueo: ipſum qualem eſſe oporteat, & ad totum hoc negotium quæ pertineant, eorum neſcio an me quoq; deceat cognitionem profiteri; certe explicationem perſequi nondum ætatis eſt meæ, nec in qua poſitus adhuc ſum conditionis; ad extremum nec loci huius & noſtri inſtituti. De rebus ipſis & argumentis, quæ iure cadant ſub ſcriptionẽ, potius aliquid hîc dicatur: quod fuit omnino propoſitum mihi, cum argumentum ipſe ſcriptionis huius ad te meditarer. Sed hoc quoq́; fiet breuiter, vt quàm poteſt paucißimis abſoluatur. Omnium, quæ poſt veteres tot ac recentes ipſos non pauciores ſcriptores ſcribi hodieq; poßint &

debeant

debeant deinceps, tria facio capita siue classes, quibus nec puto fore quidquam ἀξιόχρεωτον quod non includatur. In primo ordine statuo, qui aut noua prorsus inueniunt, aut veterum inuentis addunt: in secundo, qui opiniones antiquorum in artibus & scientiis quibuscunque quocunque modo vel castigant vel dirigunt; ipsas autem res meliore via & ad discendum accommodatiore tradunt: in postremo, qui scripta ipsa priscorum omnis generis vel obscura illustrant vel emendant maculosa. Primis nihil dignius: qui hos subsequuntur, nihil vtilius: quos vltimos feci, iis verò nihil magis necessarium. De omnibus erat latis-

ſimus dicendi campus, ſi ingenio permitterem exſpatiari, quod arctioribus habenis ita moderandū hîc mihi, ne magis qua de re, quàm ad quem & qua lege ſcribam, videar meminiſſe. Quod dixi tamē, primo genere dignius nihil, omninò quidē id liquere puto: nec quod deinceps eſt, vtiliſsimum, eget vlla probatione: quorum in vtrisque nemo erit, qui mihi aduerſetur. Vltimum ſolum neceſſarium neſcio ſi omnes dabunt, vt ſunt huic generi multi præter vllum meritum iniquiores. Ego ſic tamen ſentio, & mecū, qui non dicam haud planè nihil, ſed rectius cæteris & vero iudicio ſentiunt. Qui negent, eos cogere ad aſſentiendum vel vna ra-

na ratione ista poteramus. Quid enim? an non carere quibamus prioribus, & contenti viuere priscorum inuentis & doctrina, quã parare nobis etiam licebat eadem via, qua didicissent ipsi & docuissent? Sanè & vita hominum, etsi multis destituta opportunis instrumentis, & eruditio, quamquam imperfecta nec vbique fortasse certa satis vel recta, constare tamen poterat, vti constitit hactenus à tot seculis ad nostram ætatẽ. At postrema illa opera, quæ in restaurandis veterum scriptis ponitur, carere nequimus omninò, neque magis quàm scriptis ipsis. Tollamus enim hæc sanè, quid nobis relinquetur? Quid autem interest,

tereſt, non habeamus, an uti, & rectè uti non poſſimus? Uti utcũque num poterimus, niſi intelligã- tur? Iam quis eorum multa à ſe intelliget, niſi explicent & illuſtrẽt doctiores? Et hoc verò doctiſſimorum quis præſtabit, niſi prius emendentur? Nam corrupta eſſe paſſim nemo tam animi vel iudicij corrupti qui negare velit aut poſſit. Ita hoc conſequitur, quod volebamus, unum genus hoc neceſſarium, cætera vel in pompam vel aliquem etiam uſum. Quibus nos quidem cenſura noſtra detractum nihil volumus, qui amplectimur iſta quoque, & amamus, & digna ſummis laudibus cenſemus: ſed huic in primis ſuam etiã

lau-

laudem & dignitatem asserere conati sumus, quæ non aliunde fortius quàm ab ipsa necessitate vindicatur: et si alia sunt quoque plurima, quibus adstrui possit & firmari. Mihi verò consectari ista nunc non libet, qui quod in rem meam propriè fuit, satis iam videor exsecutus. Ad ipsum studiū, de quo agimus, ipsa necessitas hæc, quam præcipue vrgemus, eruditos hoc seculo multos excitauit: inter quos vt meum quoque profiterer nomen, eadem effecit. Nec enim profectò aliud quidquam magis: quod de me verè fateor, de alijs item credo. Vtinam quo successu illi hoc egerunt, eundem agenti & acturo deinceps idem mihi sit spe-

sperare. Tentauimus & ante & nunc in historico scriptore, sed vere tirones adhuc, nec ætate, nec iudicio fortasse satis etiam cõfirmati, certe anxij valde & metuentes iudiciorum publicorum. Quo mihi nomine cùm statuissem tamen has in Q. CVRTIVM *Animaduersiones edere, quærendus sollicite magis erat, in cuius tutelam iuuenile opus cõmitterem: qui nunc quidem oblatus vltro mihi tamen quærendi curam omnem ademit. Etenim ante ipsos oculos hîc tu mihi, Præsul Illustrißime, quo tueri nemo vel posset melius, vel libentius adeo vellet, quod huius generis dedicauissem. Et posse te vnice, multa mihi suggerebant; in his aucto-*

ctoritas præcipue tua, & ipsa doctrina in ista quidem fortuna tam admirãda quàm rara; velle autẽ, cum in omnes doctos, quorum audis & es præsidium singulare, tum in hunc etiam nostrum ordinem amor ac fauor, aliis tui ordinis insolitus, non admodum quidem certe frequens; cuius in te illustria mihi multa, sed vnum præclarißimũ argumentum, quod ipsum harum omniumq; bonarũ artium principem Iustũ Lipsium magnis inusitatisque ad te præmiis & honoribus inuitasses. quod auditum sane statim in admirationem cultumque tui me rapuit, & deinceps huic dedicationi maximum protelum fuit & validißimũ incen-

cen-

centiuum. Acceßit ad eam tamen vnam potißimam caussam altera quoque nihilo leuior, quæ quod illa suasisset, hortari etiam videbatur. Accepi enim, tuis adeo quibusdam interpretibus, etiam de me tenui & indigno homine nescio quid in aulla illustrißima tua fuisse cogitatum: quod cum intelligerem, etsi recusandum erat mihi, qui ineptus essem ad id, cui destinabar, ex eo tamen debere me censui statim grati aduersum vos animi quandam neque longè desserendam significationem. Qualem igitur hoc tempore cunque potui, festinato depromsi: quam benigne tu accipies, benignißime Præsul, & in patrocinium tuum recipies

vnà cum ipſo libro me quoque, tibi deditum & vltrò, & meritis iam nunc tuis, quà in me, quà in alios harum Muſarum viros: quos vt amas & foues, ita me inter eos minimum non in minima tamen apud te gratiæ parte perpetuò hærere patieris. Vratiſlauiæ. Kal. auſpicibus anni 1594.

VALEN.

VALENTIS ACIDALII IN Q. CVRTII LIBRVM III. ANIMADVERSIONES.

AD IO. MATTHAEVM VVACKERVM virum ampliss. nobiliss. Reuerendissimi & Illustrissimi Ep. Vratisl. Cancellarium.



VEre tibi & ingenuè fatebor, amplissime nobilissimeque vir, obnoxium me planè sibi fecit humanitas tua, & beneuolentia in me insignis illa, quam cùm per literas primùm, ad famam aduentus huc ex Italia mei excitatus, aperuisses: à reditu deinde in hanc ipsam vrbem meo præsens præsenti cumulatam omni genere comitatis ita per horarum aliquot eruditissimum sermonem explicasti, vt istum in hominem ignotum anteà tibi prolixissimum adfectum, deque immerente merendi benignissimam non voluntatem, sed cupiditatem & mirarer vehementer, & cum mirari nō possem satis, etiam venerarer. Quæ enim & qualia tu mihi vir tantus vltrò, nec tuo tantùm, sed Principis etiam tui nomine deferebas? Frustrà, quæ spero, omnia sperem, si

ſperare vndecunque illa auſus vnquam fui. Ac quæ literis obtuleras, de ijs & per literas viciſſim & coràm gratias tum egi: quæ etſi non licuit accipere mihi, ſupra tenuitatem poſita cõditionis meæ, tamen ſic amplexus animo ſum, vt frui yſdem videar, omniaque debere me vobis pro ipſis cenſeam. Quæ porrò in ſermone pollicitus es, vt ex temporum ratione pendẽt, ſic ab ea moderabuntur in poſterum: quæ iam ipſa tamen etiam præcipio, nec expectanda mihi videntur amplius, quæ iam nunc poßideam in anteceſſum oblata & in accepti tabulis apud animum meum dudum conſignata. Hæc quæcunq; ſunt, quæcunque erunt, intelligere tum potuiſti quoque ex vultu & ſermone contrà meo, gratè accipere me & benignè interpretari: quod vt intelligeretur magis aliquando, tunc etiam ipſum ſtatim manifeſtiorem & vberiorem deſtinaui vobis gratitudinis meæ ſignificationem. Itaque digreſſus à te cogitare cœpi mecum, ecquid in paupertino literario meo cenſu, quod iſto titulo dignè exhiberi poſſet. Euolutaui deinde & excuſſi copiolas omnes chartaceas: neque inueni nihil, quod cùm tua amplitudine, tum autem faſtigio principali nõ indignum planè videretur. Sed iſtuc quidquid erat, hoc quidem tempore nondum maturue-

turuerat ad publicam editionem: neque quidquam reperi aliud posteà, quod non crudum nimis esset, præter Animaduersiones quasdam in Q. Curtium, Alexandri Magni vitam resque gestas haud scio an vnicum inter Latinos, certè inter etiam Græcos vnicè persecutum. Has etsi leuiculas arripui tamen potius, vt quamprimùm vobis testarer animum meum qualicunque monumento, quàm illius exspectarem maxima cum molestia mea maturitatem. Graue enim mihi in diem debere, quod cuperem citissimè repræsentare. Et sperabam omninò gratius futurum, quod mora quàm minimùm tardasset. Quod igitur ad manus vnum erat non præcox nimis aut acerbum, id festinaui, ac tumultuaria propè scriptione deproperaui, vt ad proximum mercatum Musicum à typographis absolui posset, & perueniret in vestrum, ac secundùm vestrum in doctorum omnium conspectum. Gessi autem in eo ita me, vt cum vobis præcipuè studerem, alios nihilominus vnà demererer, quos tibi adiunxi magnos & eruditos in hac vrbe viros, vt cum totum Reuerendissimo & Illustrissimo Principi tuo consecratum esset, partibus etiam singulis suum velut tutelare numen præficeretur. Solet hoc nimirum fieri: nec me

vulgata consuetudo magis tamen inuitabat, quàm ratio quædam peculiaris incitabat. Illud enim respiciebam: si minus ipsi Præsuli vacaret hæc diligentius omnia perlustrare, quod iure verebar in isto fortunæ tam arduo culmine, susciperent hanc in se alij curam, & operam mihi darent, sui quisque destinati sibi libelli serij accuratique iudices ac censores. Id ita non ingratum puto fore Præsidi supremo: qui cum vniuersum hoc vti Iuppiter solus sibi vindicet, non inuitus patietur eius partibus quasi minores apponi Deos. Tu inter istos ipsos primo mihi loco caussam hanc meam, imò tuam ac sociorum apud ἀρχιερῆ *vestrum ages: meque & hoc meum quod offero cum debito cultu, cùm offeres ei porrò meo nomine & commendabis, tum ipse vltrò, quod tibi indidem vnà datur ita volens ac propitius accipies, vti ego Lubens Meritoque ex antiqua formula dico consecroque.*

VAL.

VAL. ACIDALII
AD Q. CVRTII LIBRVM III. ANIMADVERSIONES.



D Curtium interim, dum in alios alia maturescunt.

Adeste adeste, quæ feramq; noscite vos, qui cognoscendi simul animum affertis & ignoscendi. Talis enim mihi lector ac iudex opus: quorum illum sanè velim doctum Latinitatis, historiæ non imperitum, Curtij studiosum; hunc & hoc amplius, æquum, mitem, non inuidum, non malignũ, aut certe deniq; quãtumuis serium, dummodo ne nimis seuerum. Quos opto, etiam spero: faciamque, quod huius faciam, animo eò firmiore, quia, Tullij scito, non modò non inuidetur adolescentiæ, verum etiam fauetur. Audebo, dum audere, Fabij opinione, non dedecet, dum & veniæ spes est, & quod operi deest, ætate suppletur, & quæ iuueniliter dicta, pro indole accipiuntur. Ac scriptori quidem, cui manus emendando admouimus, ante plures iam annos, vt de prioribus taceam, quorum labor non adeò commendandus, operam verè vtilem & præclaram nauauit Cl. V. Franciscus Modius, cui non hoc tantum nomine, sed aliis multis plurimum literę literatique debent ac debebunt. Hic quę aut non vidit, aut neglexit, aut de quibus aliter nos sentimus, neque parui quędam,

neque maximi omnia momenti, persequemur ordine nos & hic proponemus, è coniecturis illa pleraque, neque nulla tamen è libris vetustioribus hausta. Manuscripti apud nos sanè nulli: sed eorum vicem adminiculatæ nobis sæpè veteres editiones, & subuenit sua diligentia ipse Modius, qui quæ variantia reperisset in suis (& habuit scriptos aliquot, sane bonos:) minima maxima omnia sedulò, paulloque minus quam accuratione superstitiosa annotauit. Ergo nos ordimur, atque inde statim, quod in ipso scriptore primum occurrit. Neque enim saltuatim, quod ille ait, ac vellicatim, aut desultorium in morem vagabimur, ordinem paginarum & auctoris vestigia presso pede sequuturi: neque illud profecto laboramus, in hoc scribendi genere pænè omnibus iam solemne, vt tanquam in ædificio vestibulum domus amœnum atque τηλαυγὲς, sic in opere illustris aditus fiat, ipsaque ianua & ingressus antepagmento aliquo bello exornetur. Nihil hic deliciarum faciemus: in interiore parte si quid erit deinceps insigne, suo se loco facile prodet. Ac me mordet tamen, ne dissimulem, initio nihil esse adeo, quod aliqua venustate lectoribus & se, & porrò de se reliqua commendet. Nec in speciem inhonesta sunt tantum, quæ erunt prima, sed & pondere leuia: digna tamen quę notemus, & hercule non vsque eò vilia, vt propter ipsa vel legẽ nostri operis frangamus,

gamus, vel consilij nos pœniteat, ac repẽte institutum omne iam mutemus. Sit primũ, quod ordo nõ patitur esse medium aut postremum.

Pag. 6. Modianæ, iteratæ anno XCI. nouissimæ & optimę, quam vbique sequimur, editionis. *Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi etiam naturam plerumque fortuna corrumperet.*

Cl. Modius ineptissime ait haberi vulgo, *nisi suam naturam*: itaque se correxisse. Bonâ veniâ dissentire liceat initio statim. Neque correctione opus, neque ineptum quod vulgatur. Sic enim accipies: Naturam suam fortuna corrumpit: quamcumque naturam nacta deprauat: in quodcumque, quantumuis sanum sanctumque ac mite ingenium inciderit, violat ac vitiat. Argutius interpretari nihil attinet: quod possim, ineptire si libeat cum illis, qui apud Liuium *suum ingenium* pertendũt idem esse ac mansuetum. *Sed curæ fuit consulibus & senioribus patrum, vt imperium suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio.* Nam hic mutant, *vt imperium vehemens suo permitteretur ingenio*: & exempla Liuij item ac Sallustij afferunt, quæ similia non magis sunt, quam quæ dissimillima. Abite argutatores, & manum à Liuio abstinete. Si mens vlla vobis, mentẽ videritis elegantissimę locutionis, quam recte iam nunc præiuit vobis egregius iuuenis Iacobus Scheckius in Præmessis: quem inter Germanos vnum pænę nunc scio cultorem horum studiorum,

& daturum nobis aliquem auguror, quem obducere Candidatis aliarum gentium poſſimus. In Curtio item maneat, quomodo vulgares ſeruant editiones. Dico vulgares, quæcumque ante Modianam adornatæ, Nam quę poſt eam Lugdunenſis, incertum mihi, noua dici debeat, an vetus; vulgaris ac communis, an ſingularis. Veſpertilionis omninò inſtar habet, quæ nec in his, nec in illis numerari poſſit. Et quam Medici conſtitutionem neutram dicunt, de illa non male vſurparim. Nec enim ſana prorſus eſt, nec inſana: niſi vtrumq; forte. Id quidem affectauit editor, quiſquis eſt, vt veluti cinnus eſſet ex vtroque genere temperatus: quàm benè ſit autem aſſecutus, aliorũ eſto iudicium potius: quia & curſim ipſe perluſtraui, & ex his quæ notaui, dixero inclemẽtius in eum, quàm ferre fortaſſe poſſit, etiamſi diſſimulare ipſi liceat, qui quidem ignoretur, neque nomen ſuum eruditis voluerit profiteri: malo exemplo, quod ſi feratur amplius, in perniciem erumpet omnium auctorum. Sumere enim ita quiuis Typographus licentiam ſibi volet in quoſcunque ſcriptores pro libidine ſua graſſandi. Sed ne ſtomachus hic ab inſtituto nos longius auehat, hoc quidem etiam in loco illud obſeruauit is, quem dico, nec quem dicam ſcio, vt neque cum priſcis editionibus neque cum recente faceret, & faceret tamen cum vtrisque. Lectionem ſcilicet vtriuſque generis exhibuit nobis, & *etiam* & *ſuam*

pariter

pariter recepto. Siue id iudicio; siue negligentia quadam; siue, quod putem, neque negligentia, neque iudicio, cui non optimo aliàs, parum fisus hìc videtur, merito certè vbique fuerit diffisus.

Ibidem. *Tu quidem licentia regni subitò mutatus documentum eris posteris, homines cùm se permisere fortunæ, etiam naturam dediscere.*

Mutari quid in his verbis debeat? nihil ego video sed nec velim. tamen coniicias è priscis codicibus aliter, *etiam à natura desciscere.* minimè profectò ineptè, ac nescio an non vulgato non dicam equidem aptius, sed fortius, imò verò & venustius, si rem quidem ipsam: & simul phrasin spectes. A se quippe desciscit, qui se totum alteri permittit. Exit è sua, qui trāsit in alterius potestatem. Naturam suam exuit, qui induit alienam. Sed hæc eadem cōfiunt interpretatione commoda etiam è vulgato. Nec ausim ipse, nec alij suaserim mutare.

Pagin. 6. & 7. *Adhæc vates variâ interpretatione curam distrinxerant. Alij lætum id regi somnium esse dicebant, quòd castra hostium arsissent, quòd Alexandrum deposita regia veste in Persico & vulgari habitu perductum esse vidisset. Quidam non ita augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa fulgorem Alexandro portendere, quem regnum Asiæ occupaturum esse haud ambigere: quoniam in eodem habitu Darius fuisset, cum appellatus est rex.*

Hìc primùm legi patiar, & censeam verius

contra, pro *non ita*. Neque enim aliter hi modò ſomnium interpretabantur, ſed planè in contrarium. Deinde, quà varietas magna eſt, & nunc *ambigere*, nunc *ambiguæ rei*, nunc aliter inuenias, *ἀναμφισβήτως* ego ſcribo: *occupaturum haud ambiguè.* Liquet id mihi verum. In poſtremis nolim ſanè aliam lectionem: *quoniam in eodem habitu fuiſſet, quo Darius, cum appellatus eſſet rex.* Vulgata melius ſe tuetur.

Pag. 7. *Patrio more Perſarum traditum eſt, orto ſole demum procedere, die iam illuſtri; ſignum è tabernaculo regis buccina dabatur.*

In vulgatis inſertum reperias *quod*: vnde ſuſpicor, ne texendum ſic potius hoc orationis filum. *Caſtra ad Euphratem mouere iubet, patrio more Perſarum, quo traditum eſt, orto ſole demum procedere, die iam illuſtri. Signum è tabernaculo regis buccina dabatur: ſuper tabernaculum* &c.

Pag. 8. *Cidarim Perſæ regium capitis vocabant inſigne: hoc cærulea faſcia diſtincta albo circuibat.*

Vitij rectè locum arguit, ille vitiorum omnium domitor, vnus veri aſſertor, legitimæ Criticæ ſolus auctor, ſol antiquitatis, hiſtoriæ omnis condus & promus, anima Sapientiæ ac Prudentiæ: & quid vlterius eam, quidue nomen apponam? iam nunc omnes LIPSIVM me dicere intelligũt. Hic ad Annal. Taciti VI. ſana iſta negat: idem ſana vtinam feciſſet! Nõ ſunt: quia neque cæruleus color inter regios aut principales, neque certè Perſici reges vſitarunt. Purpureum teſtantur omnes: ac ne mu-

ne mutaſſe Darium putemus, ecce Curtius diſertim alibi de eodem affirmat. li. 6. *Purpureum diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circūdedit.* Hic igitur, oblitus ſui, quomodo cæruleum ſupponat? Liquet, non ſcriptoris, ſed exſcriptoris id erratum. Quod ambiguè tamen Lipſius corrigit, & vel *coccinea faſcia*, vel *hoc cæruleum* coniectat. Neutrum perſuadet nobis. prius à ſcriptura vulgata abit longius: alterum à veritate. Tam enim inſigne capitis ipſum cæruleum eſſe non potuit, quàm faſcia non fuit. Senſit hoc ipſe, & defectū felicitate ſua ſe queritur. Nos an Sullę cognomen hîc, eius vicem, nobis vindicabimus? Neſcio. nā & ipſe timidè diuino, *hoc erubea faſcia diſtincta albo circuibat.* Ad veſtigia quidē literarum proximè: à vero neq; ipſo fortaſſe lōgiſſimè. An nō enim purpureū erubeū dixerimus? Scimus à rubro purpureū differre ſanè plurimum: ſed & ſcimus purpurā rubro plenè ſaturatam: atque ideò ſcilicet erubeam vocemus. Et intendit enim etiam *e* particula, non tantùm remittit. Quis poetæ illud neſcit?

Egelidum Borean, egelidumque Notum.

Vtrumque venuſtiſſima alternatione complexus eſt. Alia ſunt etiam ad id exemplum: ſed quid referam? ſiue proba coniectura doctis, ſiue non proba; fruſtrà. Sciunt enim & iſta plerique. Mihi quidem, vt fatear, etſi quod poſui valdè blanditur, nondum tamen ſatis etiam ſe probauit: alijs vereor vt probet multo

multò minus. Tamen vt verum non sit, est certè verisimile: nec facile quisquam vocem inuenerit in ista literarum vestigia magis congruentem. Experiatur quisque se: virum dixero, qui potuerit. Palma cum certò manet, adhuc in medio posita: quam neque Lipsius popoſcit sibi, & ego vltrò nunc recuso, tam porrò libenter in alium cum alijs tralaturus, quàm mihi, si detur ab omnibus, accepturus. De ipso nomine Persici insignis huius nigil ego turbo, quamquam de eo turbellam video inter auctores. Plerisque & in his Arriano & Plutarcho maximè, ὁ κάνδυς est plerumque: sed Arriano etiam ἡ κίδαρις alicubi. Nisi vtrumque verum, (potuit enim non vnum esse, & ab his aliud quoque:) verius hoc equidem, quod à Curtio expressum, iudicarim.

Pag. 11. *Hoc modo agmen peruenit ad vrbem Tarson, cui tum cum maxime Persæ subijciebant ignem, ne opulentum oppidum hostis inuaderet.*

Quis hic mendum suspicetur? nec ego quidem. At omissio τοῦ *ne*, quam in libro nescio quo notaui, qui idem exhibebat *inuident*, facit suspicari, an non fuerit, *Persæ subijciebant ignem, opulentum oppidum hosti* (vel, *hostibus*) *inuidentes.* Maneat tamen quod hactenus obtinuit.

Pag. 12. *Laxataque vis morbi hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat.*

Sic Modius, & pariter idem li. 4. *Ex suis quisq; vicis vrbibusq; hoc ipsum concurrunt ad delenda præsidia Persarum.* Benè vtrobique, nec ego patronus

Isti

isti vulgato *ad hoc* vel *ob hoc ipsum*. Sed si semel atque iterum formulam illam recipimus, erit eadem recipienda pluribus etiam & geminis omnibus locis. Vt li.4. *In conspectu erat nepos paruulus ob id ipsum miserabilis, quod nondum sentiebat calamitatem.* Ibid. *Ob id ipsum, quòd ignoti essent, ignobiles esse.* Ibid. *Auidum certaminis & ob id ipsum incautius in se ruentem hasta transfixit.* Lib. 7. *Horum ob id ipsum melior est caussa, quod ego, qui profugi, susceptus sum.* Neque tamen temerè quisquã vbique delendum *ob* censuerit; quod nec ipse, minimè quidem aliàs timidus, fuit ausus. In Propertio quidem reperies eadem facie, *Hoc vnum*. lib. 4. in descriptione Actiacæ pugnæ de Cleopatra:

Illa petit Nilum cymba malè nixa fugaci;
Hoc vnum iusso non moritura die.

Apud Plautum verò, Terentium, aliosque infinita talia per omissionem τῶ propter, aut similium particularum.

Pa.13. *Darius ergo cùm tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit.*

Acris vel in indignatione, vel miseratione sententia: quam tamen an non animabis magis, si nota erigas interrogationis? Videtur. Eadem locutione post etiam lib. 5. vsus: *Ita suam quisque fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat.*

Ibid. *Erat inter nobiles medicos ex Macedonia regem secutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi puero comes, & custos salutis datus:*

non

non vt regem modò, sed etiam vt alumnum eximia caritate diligebat.

Pendet oratio, nisi vel distinctione alia nectas, vel particellę vnius insertione. Distinctio nusquam commoda: ista fuerit sic satis: *Philippus, natione Acarnan. fidus admodum regi puero comes, & custos salutis datus, non vt regem modò, sed etiam.* Insertio τοῦ *qui* magis placuerit: *natione Acarnan, fidus admodum: qui regi puero comes, & custos salutis datus non vt regem* &c.

Pag. 14. *Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc verè arbitror, sacro & venerabili ore trahitur. Crimen parricidij quod mihi obiectum est, tua salus diluet. Seruatus à me, vitam mihi dederis.*

Corruptum locum pridem Modius pronũtiauit, atque etiam antè Glareanus: etsi huius quidem habendam rationem paruam puto. Neuter eorum medicinam vel tentauit: nec alij, quod sciam, ab his præstiterunt. Facile mihi sit mutare, sed non vno modo. Turbant duo, & *verè*, siue *verò*, & potissimùm *arbitror*, cui non est plane locus. Feceris leuicula mutatione: *sed nunc verè arbitro sacro & venerabili ore trahitur*: aut, *sed nunc, vero arbitro, sacro & venerabili ore trahitur.* hoc sensu, qui sanè bonus, vt arbitrum vocet os ipsum Alexandri, quod spiritum & regis & medici, cuius à regis vita pendeat vita, semper trahens simul, nunc nunc verè iudicaturum sit & decreturum de salute illius, propriæ salutis euentu. Nõ hoc mihi displiceat: alterũ tamen ample-

amplectar magis, quod & simplicius à dictione, & à literis simile prorsus ei quod vulgatũ, etsi paullò diuersum quid emergit. In *arbitror* duæ sunt voculæ, coalitæ primùm, dein corruptæ. Scribo: *semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nũc verè ab isto sacro & venerabili ore trahitur.* Id dubiũ faciã, si verbo probare amplius nitar.

Pag. 16. *Et quæ leuiora haberi solent, plerumque militari gratiora vulgo sunt. Exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paullum à priuato abhorrens, militaris vigor, quis ille vel ingenij dotibus, vel animi artibus, vt pariter carus ac venerandus esset, effecerat.*

Vulgates editiones, *plerumque in re militari.* vnde binas voculas eijcit Modius, vt superfluũ à glossographis additamentum. Laudo factũ, adeò non culpo. Quid tamen, si corrigendæ illæ potius quàm exigendæ? Non enim hercule absurdè feceris: *Et quæ leuiora haberi solent plerumque in rege, militari gratiora vulgo sunt: exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paullum à priuato abhorrens, militaris vigor: queis ille vel ing. d.* Nã sic & reliqua interpungenda simul, vt & mens sit clarior auctoris, & ordo æquabilior orationis.

Pa. 17. *NabarZanes prætor Darij miserat eam, hortabaturq; Sisenem, vt dignum aliquid nobilitate ac moribus suis ederet: magno id ei apud regem honori fore.*

Non ego tam audax, vt hoc damnem: neque dum tamen eripi mihi suspicio potest, pro *moribus* à Curtio scriptum fortè *maioribus.*

Hæren

Hærent enim certè hîc melius nobilitas & maiores: etsi neque non optimè hærent aliàs nobilitati mores, quos ab illa nec ego sperno, per se vtinam ne tam procul hodie spretos! Commodè etiam accipio, quod est vulgò. Vult enim agere eum quid respondens ceteris moribus & par egregiis antefactis.

PAG. 18. *Minus hoc regi, quàm purpuratis eius displicebat: ancipitem fidem, mercede venalem proditionem, imminui & diuidi non ob aliud copias velle, quàm vt ipsi in diuersa digressi, si quid commissum esset, traderent Alexandro.*

Sic Modius edidit, Palmerij nostri secutus emendationem: οὐχὶ κατ' ἡμέτερόν γε νόον. Antè fuit: *proditionem imminere, & diuidi copias.* Neque hoc ad nostram aut Curtij mentem: etsi fortasse ad mentem quidem, sed ad scripturam minimè certè. Meo enim animo, nequaquam à Curtio vllum eiusmodi verbum. Addidit ineptus sciolus, qui desiderari tale animaduertebat. Desideratur, sed intelligi tacitè auctor, non hîc disertim voluit legi. Multæ in his libris id genus inculcationes, quas innumeras iampridem Modius expulit, & superant non paucæ, suo quæque loco nobis expellendæ. Hîc nunc quidem non muta, sed exige protinus, atque ita scribe: *Ancipitem fidem, mercede venalem proditionem: diuidi non ob aliud copias velle, quàm vt ipsi in diuersa digressi, quod commissum esset, traderent Alexandro.* De copiarum imminutione scio pertendere aliquem posse. minuuntur enim

nim aliquo genere, quæ diuiduntur. At hic dicat mihi, quid ad proditionem istuc? Ea spectabatur sola, si spectabatur tamẽ, quæ & pendebat à sola digressione. Consideret mihi secius lector: —— οὐδὲ κέ τίς μοι
Μῦθον ἀπμήσῃ.

PAG. 19. *Delituisse inter angustias saltus, ritu ignobilium ferarum, quæ strepitu prætereuntium audito, syluarum latebris se occulerint.*

Et hoc à Modio. Vulgus librorum, *occuluerunt.* Tu facito, *occulerent.* Non tam id verbi Alexandrum eiusq; exercitum respicit, etsi respicit omninò, quàm feras ipsas, à quibus ad illos accommodatur.

Ibid. *Nam etiam saucij quidam & inualidi, qui agmen non poterant persequi excepti erant.*

Leue est, sed sinceritatis tamen interest, vt *potuerant* scribatur. In eadem voce sæpe deinceps itidem erratum: quod indicasse hîc semel suffecerit, ne vbique semper iteremus.

PAG. 20. *Sed cum speculatores reuerterentur, procul ingens multitudo conspecta est.*

Vidi alibi, *sed quàm speculatores.* Potuitne ab auctore omitti, an à librario omissa est particula *ante?* vt valeat, priusquam reuerterentur: quod in hac re magis verisimile. Sed vt vulgò etiam est, capi *reuerterentur* potest, cum in reditu essent, nondum reuersi.

PAG. 21. *Darius initio iugum montis cum parte copiarum occupare statuit, & à fronte & à tergo circuiturus hostem. à mari quoque, quo dex-*

terum eius cornu tegebatur, alios obiecturus, vt vndique vrgeret.

Rectè hæc vt capias vide, neu vana te quædam nebula turbet, quod non infitebor euenisse primùm nobis. Acies sic dispositа, vt dexterum eius cornu mari tegeretur. hoc quomodo posset, initio imprudens ipse quærebam: aspectuque primo labebar, vt scribendū fuisse putarē *quod dextero eius cornu tegebatur*. Ita montis siue iugi cornu interpretabar: atque hoc vt diligens etiam inscitia est, è descriptione conabar astruere, quæ & in qua præcessit: *Namq; perpetuo iugo montis asperi ac prærupti Cilicia includitur: quod cum à mari assurgat, veluti sinu quodam flexuque incuruatum, rursus altero cornu in diuersum latus excurrit.* Putabam è situs ista ratione confieri quod volebam, & fortasse confit: verumenimuerò frustrà. Mens alia longe Dario, alia Curtio. Phrasis, & tegendi verbum nos decepit, quod hîc ea notione, pereleganti mehercule, positum, qua & lib. 4. *A parte dextra erat Tigris nobilis fluuius, læuam tegebat Euphrates.* Valet id nihil amplius, quàm in hoc loco, fuisse Euphratem à parte læua; in illo, dexterum cornu stetisse ad mare: quod verum probant insequentia: *Quidquid in illis angustiis adiri poterat, impleuerant copiæ: cornuaque hinc ab iugo, illinc à mari stabant.* Tralata locutio ab illa, qua dicimur latus alicui tegere.

Ibid. *Transire & obiicere sese Macedonum copiis iusserat. si id præstare non possent, retrocedere in mon-*

in montes, & occulte circuire vltimos hostium.

Mirum, ni & hîc adsititium est *præstare.* Nam quanto venustius, si absit? Equidem & Curtium, si quid addere tale vellet, additurum aliud fuisse credam. Sed, vt arbitror, nec hoc adderet, nec aliud: ita eum noui & amantem harum ἐλλείψεων, & otiosorum verborum fugientem.

PAG.23. *Alexander ante prima signa ibat, identidem manu suos inhibēs, ne impensius ob nimiam festinationem concitato spiritu capesserent prælium.*

Oraculum habere iubemur hoc à quercubus Pelasgis: ego vix accipio, certè fidem non magnam ei habeo. Non persuadet Modius, *suspensi acrius*, eo modo natum ex *impensius*, quo vaticinatur. Mea cortina verisimilius quid subiicit, vt retento *acrius*, minore mutatione pro *suspensi*, legatur, *sic infensi.* Nam aliæ nostræ audaciores sunt hariolationes, vt transponatur idem verbum, legaturque vel: *identidem suspensa manu suos inhibens, ne acrius ob nim.* Is enim habitus & gestus est inhibentium, vt subrecto brachio manum suspendant. vel, remoto eo longius in sequentem comprehensionem: *Cumque suspenso agmini obequitaret.* Valeat hic suspendere, sistere, morari. Ni ex omnibus his vnum aliquod verum, equidem ausim ipsum *suspensi* in crucem ad suspendium tollere: quod certè non frustrà verear ex dubia scriptura natum eorum, quæ proximè præcedunt, *suos inhibens:*

bibens: nec difficulter hucibit, qui & literarum similitudinem videt, & exscriptorum seculi superioris oscitantiam in his talibus nouit.

PAG. 24. *Cum adierat Græcos, admonebat, ab iis gentibus illata Græciæ bella: Darij prius, deinde Xerxis insolentiæ, aquam ipsam, terramque populantium, vt neque fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent.*

Male vulgò *insolentia*, vel *insolentiam*. Ad *insolentiæ*, verbum repetendum, quod præcessit, *admonebat*. De cetero *populātium* Modius etiam damnat, & è Sigebergensi codice *poscentium* reponit: quod vt persuadeat nobis, magno conatu agit, nec interpretationis solùm suada blanditur, etiam vi auctoritatum pugnat. Pugnet, & depugnet, non ille tamen codex vincet, quantumuis ei omen à Victoriæ monte. Videamus, & collato pede certemus. Interpretatur homo doctissimus ex more Persarũ, qui tributi nomine aquam & terram exegerint, hoc est, redimere coegerint subditos vsum aquæ & terræ certo aliquo tributo: idque non vt opes augerent adeò, quàm imperij magnitudinem ostentarent. Blanditur hoc, & de Persis quis non facilè credat? Vnde habet tamen, si fas interrogare? Mihi enim sanè dubium, & testem velim ab antiquitate. Ain' verò testem? Duos ecce tibi locupletes, alterum certè minimè reiiculum, si alterum detrectes. Plutarchus est (sanctus ille quidem mihi testis:) & Iulius quidam Valerius. quis iste? Vi-

tam

tam Alexandri Latinam fecisse dicitur ex Aesopi Græco. Dicitur, ais: & ex Aesopi Græco. Neutrum horum noui, nec iniuriâ fidei diffido. Admittamus tamen ad testimonij dictionem, & audiamus: sed Plutarchum priorem. Apponantur enim & hîc sanè ipsa eorum verba, quò iudicare lector melius ac statim possit. In vita Alexandri: Δίνων δέ φησιν καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Νείλου καὶ τοῦ Ἴστρου μετὰ τῶν ἄλλων μεταπεμπομένους εἰς τὴν γάζαν ἀποτίθεσθαι τοὺς βασιλεῖς, οἷον ἐκβεβαιουμένους τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς, καὶ τὸ κυριεύειν ἁπάντων. Plutarchum accipimus, etsi neque hic Plutarchus, sed Dino, à quo acceptum ille saltem refert. Verùm non cauillabimur. dicat, & affirmet Plutarchus ipse: an Modium quidquam tamen iuuat? Postea videbimus: prius Æsopi nescio an fabellæ attendamus. Exponit hanc ita Iulius ille nescio qui Valerius: *Videt (Alexander) sibi assistentes habitu barbaro viros, percontatusque cognoscit esse Darij satrapas, causamque aduentus esse, quòd ex more regio petitum pecunias à Philippo venissent, pretium scilicet aquæ & terræ. his enim nominibus subiectos obsequi sibi Persæ iubebant. Miratus igitur Alexander & petendi morem & titulum, Haeccine, inquit, elementa Persæ mortalibus venditant, quæ cunctis Deus in commune largitus est?* Egregiè: & quis adhuc auctore tanto vicisse non assentiatur? Ille tamen haud contentus, etiam corollarium addit, æui nostri consuetudinem in Feudis, quæ similis inde adeò ad nos durarit. Suaue illud: in quo ri-

ſum tamen ego teneo, pertinere ad id quo de agimus, feriò ac ſeuerè nego. Ἀπροσδιόνυσον eſt: quod ſi neque ſit, probat tamen omninò nihil. Atqui de Æſopi iam teſtimonio quid dicam? Nihil, niſi auctoritatem eius apud me tantundem ac Valerij valere. Valeant vterque, & vnde venerunt, eant. quærant etiam, quibus perſuadeant: apud me fidem non inueniunt. Nec puto quiſquam cordatus erit, alicuius qui ponderis habeat, quod incertæ, ignotæ quidem fidei, incerti ipſi ignotíque dicant. Sed nec opus illorum atteſtatione, ſi Plutarchus ab eadem parte. Vnus hic mihi, vnus omnibus ſatis erit, ſi affirmat, quod iſti volunt. At vide, quàm de eo malè mereantur! Ignarum rei teſtem citant, inuitum ad dicendum pertrahunt, dicenti alienam mox ſententiam affingunt. En iniuriam! Id eum aiunt dicere, quod nullus dicit. Aquam & terram tributi nomine Perſas exegiſſe volunt: idem iidem de certo pretio pro aquæ & terræ vſu interpretantur. Cedò, quid horum Plutarchus? De aqua meminit, neque vniuerſim omni, ſed Iſtri & Nili: vbi verò de vlla adeò terra? Sed de terra gratiam faciamus: age quid de aqua narrat? Ipſam, an pro ea tributum flagitatum? Non hoc profectò, ſi loquentem modò Græcè ſatis intelligo. Videor intelligere, ſine interprete etiam: & tamen interpretes conſului. Hi nihil inde mecum de vllo eliciũt tributo. Et quid te teneam?

hoc

hoc disertim longè ab illo aliud scriptum: solitos Persarum reges haustam & allatam ex ipso Nilo & Istro ipsam aquam inferre suæ Gazæ, & reponere inter reliquum thesaurum, idque velut in imperij pignus, & magnitudini eius extollendæ. Hoc quid ad tributi exactionem? Neque verò aliud præterea vel fidiculis extorserint ex adducto loco. Vel occasionem vide, qua inciderit auctor in thesaurariæ huius aquæ mentionem. De Susis captis agebat: ibi Gazam narrat inuētam: in ea extra numerum multa, supra modum pretiosa: duo præcipua & velut ad miraculum, purpuram Hermionicam, quinque millium talentûm, annos pænè ducentos seruatam, floris tamen adhuc recentis, & hanc illam aquam Istri ac Nili, turbatam ab his tantoperè & vltrò turbantem. Certè enim eos hæc turbauit, auditione aut lectione leui aspersos alterius Persici moris, quem eundem arbitrati cum isto cōfuderunt. Nam video & teneo originem erroris. Meminerant, sed iam totum pænè dememinerant, quod ab aliis verè traditum constat inter eruditos. Id est huiusmodi: nec piget enim, neque huc non facit plurimum recensere. Persarum reges quibus populis bellū indicebant, aut à quibus aliàs volebant tradi sibi rerum omnium potestatem, ab iis per legatos terram & aquam poscebant. Id nempe συμβολικῶς: cùm eo se argumento dominos vellent omnium, quæ terra marique tenerentur. Et

hoc igitur & illam qui quaſi darent, accipere ſe imperium vltrò ſignificabant: qui negarent, ab iis mox vi & bello repetebant. Hoc cum veluti per nebulam obtusâ memoriæ acie viderent, glaucomam oculo animi porrò obiecit obſcurus quicunque eſt ille ſcriptor, qui & ipſe fortaſſis haud rectè ſatis conſuetudinem Perſicam intelligens, ita detorſit ac pro ſuo captu interpolauit. Ab eo decepti Plutarchũ iam quoque ad has partes trahere ſunt conati, imprudenter, vt monſtrauimus, ac fruſtra: quamquam ego quidem non tam inſcientia lapſos ita eum prorſus accepiſſe crediderim, quàm de induſtria ſic interpretatos, vt fucum vltrò facerent nobis, quos ad ignotum auctorem hæſitãtes illius auctoritas percellere poſſet & impellere ad aſſentiendum. Quî enim contra quem nitimur, eum in Græcis vſque adeò cæcutire putem, vt tam liquidum Plutarchi ſenſum liquidò non viderit? Ac fuerit tamen per me ipſius error potius inſcientis, quã ſcientis inducendi alios voluntas. Facilius ignorantia veniam inuenit, quàm malitia, quæ nec iure vllo vllam adeò meretur. Lõgius produxiſſe videor hoc certamen, & ſatis iam pro Curtio pugnaſſe. Satis, ac nimium etiam ſatis: nec tempero mihi tamen, quin victor etiam nunc ex ipſo pro ipſo nitar. Etenim hactenus aliorum ab eo vim ita defendimus, vt frangeremus eorum ſaltem tela: ipſe nunc & hos & alios, ſi qui porrò incurrent, propriis à ſe lon-

longiſſimè arcebit armis. Demus enim, quæ refutauimus, verè ab auctoribus quibus volunt prodita, demus ab aliis eadem prodi: nihil ad Curtium pertinent omninò. Iam primùm Curtius ita loqueretur ſcilicet, vt cum vellet tributum pro terra & aqua, terram & aquam poſci diceret. Clarius omnino, ſi id vellet, aperiret. Sed neque Latinorum alius ita quisquam. nam quis omnium ſub aquæ & terræ ſola appellatione tributum etiam harundem acceperit? Quaſi tu qui mercem poſcat, mercedem velle; aut contrà qui mercedem, mercem arbitreris. Ineptè: ſed & hoc faciamus cum Latinitatis auctorem alium, tum Curtium potuiſſe: nego iam noſtrum voluiſſe. Quod ſi demonſtro, an hiſcere porrò contrà quis audebit? Poſſum, neque quidquam eſt facilius. Vide mihi contextum ipſius orationis: & quæ ſequuntur verba cum præcedentibus aptè iunge. Priora nempe ſic accipienda, vt poſteriora patiuntur. his enim ſenſus illorum abſoluitur, vt contrà pendent à primis aliàs poſtrema. Iam ſi Darius & Xerxes inſolentia quadam tributum pro aqua teráque poſcebant, quomodo à quibus id poſcebant, à quibus etiam forſan accipiebant, his quomodo, inquam, neque fontium hauſtum, neque ſolitos cibos relinquebant? Tributum qui pendunt, id certè retinent, pro quo pendunt. Alia quantumuis multa in hanc ſententiam dici poterant: quæ malo cogitet

ipſe ſecum lector, ne iuſto nos longiores ſimus. Et quid plura dici aut cogitari referat? iam qui communis ſenſus aliquantillum habet, nihil ineſſe ſenſus in iſta lectione dudum ſentit. Retinemus ergo nos *populantium*, in quo ſententia optima & clariſſima: quæ tamen eadem ferè, ne quid omnium diſſimulem, ex illo ipſo *poſcentium* leui mutatione poſſit extricari. Quid enim ſi coniiciamus, in laudato Sigebergenſi libro, qui *poſcentium* ſcripſit, ſcribere *paſcentium* voluiſſe, ſiue debuiſſe? Paſci & depaſci quidem populari etiam eſt. Ita mens eadem ex vtrisque: etſi fortior è noſtro. nam leuius certè *paſci*: & hîc non ſatis vim exprimat inſolentiamque vaſtam regum vaſtatorum. Itaque ſic etiam maneat vox vulgata. De re, quid manifeſtius, quàm ad inſolentem illam reſpici multitudinem copiarum Perſicarum? Has Xerxi quidem fuiſſe tantas accepimus, etſi neque Dario alteri poſteà minores, ſed Xerxi, quem nunc maximè perſtringit Alexander, multorum aſſeueratione tantas, vt quà incederent, omnia quæ ad victum abſumerent, neque illis pænè terra ciborum produceret ſatis, neq; integra flumina ſufficerent in potum. Ita ſcilicet aquam ipſam terramq; populabantur, ita neq; fontium hauſtum, neq; ſolitos cibos relinquebãt. Et rapione ad Prætorem iam illũ, qui ſeruitum abduci ſe iubebat, ni *poſcentium* legendum, niue adeò Curtius ſic ſcripſiſſet? Habuero addictum abductum,

ductum, si iure experiri velim. Sed esto per me liber, dum ne correctionis, dum ne opinionis ac linguæ posthàc ita liber. Insultare nos ei nolumus, quod nec me nec in illum deceat: neque factum volumus, si quid videbitur hìc à nobis dictum fortasse acerbius aut scriptum. Atque planè cum Homero

——ἔπος δ' εἴπερ τι βέβακται
δεινὸν, ἄταρ τὸ φέροιεν ἀφαρπάξασαι ἀέλλαι.

Luxuriati sanè iuueniliter sumus, & habenas paullisper ingenio dedimus in re, quæ calorem nostrum excitauerat. Id dedecere nos hac etiam ætate non existimauimus, quoniam adhuc quidem, Varronis verbo, adolescentiamur: & veniam, si quid admisimus, cui venia opus, haud difficulter à quocunque lectore, ipso etiam Modio, quem vt meretur amamus ac colimus, impetraturos speramus. Quod superest, fuit, cum argutarer etiam aliquid ipse in hoc loco, & pro *solitos* legendum *solidos* opinarer. Aptè enim & pulchrè iungi mihi tum liquentes fontium haustus & solidi cibi videbantur. Abstineo nunc, & nemini sum mutationis auctor.

Ibid. *Dedita Deis templa ruinis & ignibus esse deleta: vrbes eorum expugnatas.*

Modius sic quoque fecit. Non vsitatum tamen in consecrationibus dedendi verbum, & & potius hìc erat *dedicata*: quod ego non tamen intruserim: lubentius ex illo ipso *dedita* concinnarim *Deis sita*, maximè quia in vulgatis

gatis *dein.* Sita Deis templa, Taciti phrasis est, quam neque noster abhorruerit. ille quidem frequenter eâ vsus. Exemplum vide Annal.2. *Tumulum etiam nuper Varianis legionibus structum, & veterem aram Druso sitam disiecerant.*

Ibid. *Aspera montium suorum iuga, nudosque calles, & perpetuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis agrisque mutarent.*

Inuenio alibi *mitibus*: quod rectè rigori frigoris & montium asperitati, sic quomodo alterum nudis callibus, opponatur. Vtrumque bonum: vtrum melius? Ego tam non ausim hoc tollere, quàm illud pariter inserere.

PAG.25. *Quippe Darius equestri prælio decernere optabat, phalangem Macedonici exercitus robur esse coniectans.*

Itane coniectans? Imò verò sciens. Docuerat eum perspicua & liberrima oratione Charidemus, quæ propius initium huius libri. Suspectum ergo nobis id verbum, etsi mutare non audemus, nunc quidem. Nam olim scio impetus capiebat me rescribillare, *phalangem Macedonici exercitus robur detrectans.* Atque ita erat: equestri prælio decertare malebat, timens ac fugiens Macedonicam hanc phalangem, quæ in dextro cornu. Sed olim hoc, præcipiti adhuc calore, qui nunc paullatim crescente minuit ætate.

Ibid. *Itaque ipsi in medium Persarum vndique circumfusi, egregiè se tuebantur. sed conferti, & quasi cohærentes tela vibrare non poterant. simul*

mul erant emiſſa, in eodem concurrentia implicabantur, leuique & vano ictu pauca in hoſtem, plura in humum innoxia cadebant.

Fatetur ita Modius correxiſſe, quæ antea mirificè turbaſſent. Rectè ille, niſi quod incautius emendationem ſuam firmari putauit Diodori verbis. Neque rem prorſus eandem, neque de iisdem hic quidem narrat. Contrà eſt, ac de Darij militibus ille, quod noſter de Alexandri. Vide: ὡς δ' αἱ δυνάμεις ἐντὸς βέλους ἐγένοντο, τοῖς μὲν περὶ τὸν Ἀλέξανδρον ἐπέρριψαν οἱ βάρβαροι τοσοῦτον πλῆθος βελῶν, ὥστε διὰ τὴν πυκνότητα τῶν βαλλομένων ἀλλήλοις συγκρουόντων ἀσθενεστέρας γίνεσθαι τὰς πληγάς. Gemina ſunt tamen pænè, ac valdè iuxta ſe poſita inuicem illuſtrant.

Pag. 26. *Ergò frater eius Oxathres cum Alexandrum inſtare ei cerneret, equites quibus præerat ante ipſum currum regis obiecit, armis & robore corporis multum ſuper ceteros eminens; animo verò & pietate in paucißimis, illo vtique prælio clarus.*

In Plutarcho *Exathren* legas. Hîc ad finem diſtinctiunculâ ſententiam ita iuuabis, vt capias iſto Oxathrem prælio animo quidem & pietate fuiſſe inprimis clarum. Nam aliàs obſcurum etiam quis putet? Nunc tamen pietas eum præcipuè commendauit. Eſt & in quibusdam reperire non *vtique*, ſed *vtrinque*. Non hoc etiam male. Vtrinque hoc prælio ille clarus, nempe quà ab armis & robore corporis, quà ab animo & pietate. Prior & ſcriptura

ptura & ſententia magis è re, magis è Curtij mente.

Pag. 27. *Equi pariter equitesque Perſarum, ſerie laminarum graues, agmen quod genus celeritate maximè conſtat, ægrè moliebantur: quippe in circumagendis equis ſuis Theſſali multos occupauerant.*

De Perſica hac graui armatura lib. etiam 4. *Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis ſerie inter ſe connexis.* Quod hoc loco legimus, è Modij cenſura ſic legimus: qui tamen idem malit aliter, in hunc modum tranſpoſitis aliquot verbis: *Equi pariter equitesque Perſarum ſerie laminarum graues agmen ægrè moliebantur: quippe in circumagendis equis ſuis Theſſali, quod genus celeritate maximè conſtat, multos occupauerant.* Aut veram, aut veræ proximam ait hanc ſcripturam. Mihi non ſic videtur. Etiam nunc turbatus orationis ordo. Quomodo enim ſe conſequitur? An ideò Perſæ βαρέως ὡπλισμένοι agmen ægre moliebantur, quia leues Theſſali multos occupauerant? Omninò contrà: multos occupauerant Theſſali, quia agmen ægre moliebantur Perſę. Facile exiſteret hic ſenſus, ſi vbi *quippe* eſt, *quapropter* legeretur. Aut traiicienda erunt multò plura, vt mẽbra orationis ipſa ac tota inuicẽ mutent locum. Hoc tamen ego mihi nõ permiſerim: nec *quippe* illud adeò mutarim. Scio ab hac particula omnem turbam, quæ conſileſcet auctore me, ſi veterem reduxero lectionem. reduxero, ſed in ſuum etiam

iam ſcilicet ordinem. Ea ſic habet: *ſerie laminarum ob id genus graue, agmen, quod celeritate*, &c. Mirè voces hîc diſiectæ, quarum aliquæ à Modio & eiectæ. Nos eas reſtituemus, atque ita locum miſerè fluctuantem conſtituemus. *Equi pariter equitesque Perſarum, ſerie laminarum graues agmen ægrè moliebantur: ob id in circumagendis quoq; equis ſuis Theſſali, quippe quod genus celeritate maximè* (vel, *maxima*) *conſtat, multos occupauerant.* Tam opinor licuit mihi traiectionibus vti, vt componerem, quàm aliis, vt turbarent.

Ibid. *Haud amplius regem quàm mille equites ſequebantur, cum ingens multitudo hoſtium caderet.*

Ne verò, *caderet*: alienum id à vera mente. *cederet* ſcripſit auctor. Nam de fuga ſaltem ei ſermo. Sequentia oſtendunt: *Sed aut quis in victoria aut in fuga copias numerat? Agebantur ergo à tam paucis pecorum modo: & idem metus qui cogebat fugere fugientes morabatur.* Quæ poſtrema pulchrè mehercules, & ex intima natura. Sic enim fit occulto nec quo ſatis ſcio modo. In trepidatione metu impellimur ad fugam, quam nitentes tamen eodem retinemur. Eleganter hoc idem ferè Latinus Pacatus, Theodoſii Panegyrico, ſcriptor, vt illa ætate, minimè ſpernendus, & quem ego ſane amo æſtimoque, nec ſi optio detur, vnam eius orationem illam, niſi ſunt eiuſdem inter panegyricas etiam plures, quod alibi quærendi erit locus, haud equidem multis aliorum, vna etiam atque

que altera pænè dicam Ciceronis mutem. Is ita: *Vt clausæ caßibus feræ quæsito diu exitu desperatoque consistunt, & præ timore non fugiunt: ita ille ipso quo agitabatur metu alligatus in oppidum semet Aquileiense præcipitat.*

Pag. 28. *Tunc verò impotentis fortunæ species conspici potuit, cum ij, qui cùm Dario tabernaculum exornauerant omni luxu & opulentia instructum, eadem illa Alexandro quasi veteri domino reseruabant. namque id solum intactum omiserant milites, ita tradito more, vt victorem victi regis tabernaculo exciperent.*

Modianæ castigationis hæc quoque sunt: in vulgatis quædam mutant. Primùm *impotens* alibi: quod non prorsus improbandum. Mox nescio quid ἀνακόλουθον in structura, *cum ij, qui cum Dario*, & habent posteriore loco alij libri *tum*: quod aut eiecerim, aut retulerim in aliam sedem. *Venturo* denique Antvverpiensis editio, non *veteri*. Potest illud etiam aspectu aliquo probari. Nos totum locum ab interpunctis quoque male affectum, nec orationis satis puræ, sic emaculamus: *cum ij, qui Dario tabernaculum exornauerant omni luxu & opulentia, instructum eadem illa tum Alexandro quasi veteri domino reseruabant.* Ni sic complanes, aspera nimis *eadem illa*, quæ nec habent aliàs, cui apte hærere possint. Tu eandem opulentiam acceperis.

Ibid. *Sed omnium oculos animosque in semet auerterant captiua mater coniunxque Darij. Illa*

non ma-

non maiestate solùm, sed [illegible]am ætate venerabilis: hæc fortunæ pulchritudine, nec illa quidem sorte corruptæ acceperat in sinum filium, nondū sextum annum ætatis egressum.

Distinctiunculas coapta: *coniunxq; Darij: illa non m.s.s.e.æ.venerabilis, hæc f.pulchritudine, nec illa q.s.corruptæ acceperat in sinum &c.*

Ibid. *In acie autem cæsa sunt Persarum peditum centum millia: decem equitum.*

Vbi numeri, plerumque dissensus auctorū: quem notare neq; semper attinet, & conciliare non est nostræ opis. Hic quidem quòd distinctè Curtius tradit centum millia peditum, decem equitum interfecta; Arrianus vnâ summâ complexus omnes, ad cētum omninò millia cecidisse ait peditum simul equitumque, sed in his equitum vltra decem millia, vt peditum scilicet fuerint millia saltem nonaginta. lib.2. τὸ δ' ἄλλο πλῆθος εἰς δέκα μάλιστα μυριάδας. καὶ ἐν τούτοις ἱππεῖς ὑπὲρ τοὺς μυρίους. Idem mox de Alexandrinis, quantum memini, silet: vbi pro solita diligentia noster. *At ex parte Alexandri ad quatuor & quingenti saucij fuere, triginta omninò & duo ex peditibus desiderati sunt, equitum centum quinquaginta interfecti.* in quibus assentior Modio & Glareano *trecenti* legendum pro *triginta*. Nimis enim ille angustus numerus: neque mouere debet ἀπροφώνημα, quod subiunctum *Tantalo impēdio ingens victoria stetit.* Nam etiam sic impendium satis leue. At quid ibidem Solœcum video? Nisi Prisciani manes irati mihi, legen-

D dum

dum ſanè, *ad quatuor & quingentos.* Poteſt tamen etiam decurtata vox eſſe, vt fuerit *admodum:* quod ita poſitum ſæpe, pro circiter. Ab aliis libris ipſa particula hæc abeſt, nullo fortaſſe detrimento.

Pag. 30. *Ea ipſa res turbauerat feminas, quod irrupiſſe non admiſſus videbatur.*

E vulgatis quidam, *Ea res ipſa.* cur mutarunt? Suauius ita ad aures meas accidit: ac nempe ſic quoque lib. 4. *Ea res ipſa militi ad perſequendum hoſtem animum intendit.* Leue hoc, ſed neq; Curtio, neque me indignum. Aliud monebo non maioris etiam momenti: quanticunque eſt, tu verò tolle comma poſt *irrupiſſe.* Veri ſenſus nonnihil intereſt, qui alius fit atque alius à leuiſſimo interpunctо. Hîc, vt nos volumus, ille oritur: Erant turbatæ feminæ, quòd irrupiſſe videretur, quia non eſſet admiſſus. Alius longè fit retento commate: Pauor illis, quia non admiſſus, ſed irrupiſſe videbatur. Hic alienus, ille germanus.

Pag. 31. *Equidem hac continentiâ animi ſi ad vltimum vitæ perſeuerare potuiſſet, feliciorem fuiſſe crederem, quàm viſus eſt eſſe, cum liberi patris imitaretur triumphum vſque ab Helleſponto ad Oceanum omnes gentes victoriâ emenſus: ſi viciſſet profectò ſuperbiam atque iram, mala inuicta, ſi abſtinuiſſet inter epulas cædibus amicorũ, egregioſq; bello viros, & tot gentium ſecum domitores indictа cauſa veritus eſſet occidere.*

Aliis hoc fortaſſe liquidum: mihi neq; ipſi valdè

valdè turbidum, nescio tamē quid insubidum & insudum. Offendor iteratione illa τοῦ *si*: quæ cum adiunctis verbis non satis ad æquabilitatem structuræ Curtianæ. De illis sentio, *si vicisset profectò*: &, *si abstinuisset* &c. Eiiciendæ primò videbantur: neque id, si rationem inis, absque ratione. Pendebunt omnia sic à primo illo, *si ad vltimum vitæ perseuerare potuisset*. Aliud deinde subueniebat, vtrobique vt *sic* scriberetur. Ne id quidem pœnitendum. Sensui certè mirè opportunum sit, & à præcedenti ipsum quoque pendeat. *Sic*, nimirum, si continentiâ eâdem perseuerasset. Sed latet aliud, quod elicui tandem, ac verum plane deputo. Minima vna vocula deperiit, atque interpunctio etiam fortassis aberrauit. En tibi locum totum, vt restituisse nos arbitramur: *Equidem hac continentia animi si ad vltimum vitæ perseuerare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quàm visus est esse, cùm liberi patris imitaretur triumphum. Vsque ab Hellesponto ad Oceanum omnes gentes victoria emensus, se vicisset profectò, si superbiam atque iram, mala inuicta; si abstinuisset inter epulas* &c. Omnium victor Alexander ad extremum seipsum vicisset, si illa vicisset, quæ inuicta subiungit auctor mala. Verè profectò nos; verè Curtius, à talibus censuris meritò nobis commēdatior, ac dignus in historicorum lustro inter primos & ipse censeri. De continentia Alexandri, & hac ipsa humanitate in matrem, coniugem, liberosque Darij pariter iudicat etiam Diodorus,

 rus,

rus, qui tantis quidem laudibus efferr, vt maximum vnum omnium facinus faciat & maximè inter eius cetera memoratione dignum. Digna & ipsius verba, quæ hîc reponantur: ἐγὼ δὲ νομίζω, πολλῶν καὶ καλῶν ἔργων ὑπ' Ἀλεξάνδρου συντετελεσμένων μηδὲν τούτων (siue τούτου) μεῖζον ὑπάρχειν, μηδὲ μᾶλλον ἄξιον ἀναγραφῆς καὶ μνήμης ἱστορικῆς εἶναι. Αἱ μὲν γὰρ τῶν πόλεων πολιορκίαι καὶ παρατάξεις, καὶ τὰ ἄλλα τὰ κατὰ τὸν πόλεμον προτερήματα, τὰ πλείονα διὰ τύχην ἢ δι' ἀρετὴν ἐπιτυγχάνεται· ὁ δ' ἐν ταῖς ἐξουσίαις εἰς τοὺς ἐπταικότας ἔλεος μεριζόμενος διὰ μόνης τῆς φρονήσεως γίνεται. Et plura, quæ apud ipsum iam melius legi. Arrianus autem & Plutarchus quid? hi quoq; & alij item concordi iudicio in hanc sententiam, in has laudes eunt: sed excerpere ista talia non ex instituti nostri modo.

Ibid. *Sed nondum fortuna se animo eius superfuderat. Itaque orientem eam moderatè & prudenter tulit: ad vltimum magnitudinem eius non cepit.*

Imprudenter faciam, si sollicitem hoc *prudenter*. At vide ne *pudenter* tamen fuerit, quod pudenter moneo. Modestiæ pudor & verecundia pulchrè quidem hæserit: pulcherrimè tamen etiam prudentia moderationi.

Ibid. *Tum quidem ita se gessit, vt omnes ante eum reges & continentia & clementia vinceret.*

Maluit hoc Modius, ego vulgatum *vincerentur*. Multum adeò refert, inquies. non multum sanè, sed neque nihil. *Vinceret* si Curtius scri-

ſcripſiſſet, ſcripſiſſet non *eum*, ſed *ſe*, vel *ipſum*, quod pro eodem *ſe* infinitis locis apud hunc item vt Manilium.

Pag.33. *Gangabas Perſæ vocant humeris onera portantes. Ii cum frigus tolerare non poſſent: quippe & procella ſubitò niuem effuderat, & humus rigebat gelu: tum aſtrictas veſtes, quas cum pecunia portabant, auro & purpura inſignes induunt.*

Abundare *tum* videatur, quod addi non ſolet, nec debet quidem ſemper. Aſtrictæ autem veſtes non malè ſanè dicuntur: imbibi tamen, & altius, quàm vt refundere poſſim, non ad veſtes eam vocem referendam, ſed ad humum: atque ita ex animi ſententia reſcribo: *& humus rigebat gelu tum aſtricta: veſtes, quas cum pecun.* Doctis hoc probabo: de vulgo nunquam laborabo.

Ibid. *At illi qui ſub oneribus erant, omiſſis per metum capeſſunt fugam.*

Addendum forte, *omiſſis iis.*

PRÆFATIO.

VALENTIS ACIDALII

IN Q. CVRTII LIbrum IV.

ANIMADVERSIONES.

AD

ERASMVM MVLLERVM virum ampliss. nobiliss. inclytæ Reipub. Vratisl. Senatorem & Scholarcham.

NON *mihi verendum est, amplissime ac nobilissime Mullere, ne videar ignotus adire te: quod si vererer, altius exordirer, atque ita me conciliare studerem nunc tibi, vt puto iam olim conciliatum. Noueris enim Acidalij nomen vel à triennio saltem de Paterculi editione, quam in Italia adornatam amicorum suasu ad socerum tuum, magnificum amplißimi Senatus vestri Præsidem, Abrahamum Ienequitzium misi. cuius me facti pœnitere non debet, etsi pigere ipsius editionis potest. Vilis enim ac puerilis ille noster ad Velleium labor, si labor mihi tamen dicendus, qui verè fuit incipientis & tentantis has primum*

mùm literas adolescentiæ nostræ lusus. Ac sane vellem retrahere eum posse, non auctoris ipsius magis quàm mea causa: quorum vtroque digniora nunc, illi quidem salubriora dare nunc possimus, quæ exinde fuimus meditati. Quidquid tamen illud ante fuit, non ingratum fuisse video, meum quidem studium plane gratum, quod acceptum fuit ita prorsus, vt affectum potius ipsum meum, quàm effectum spectatum arbitrer in remunerando. Quod quando ita est, dabitur opera porrò, vt qui animo placuimus, ipsa quoque re placeamus: & , spero, quod minus illæ priores potuerunt, CVRÆ SECVNDÆ *deinceps aliquantò iustius merebuntur. De his videbimus, cum videbitur opportunum. Nunc in alio historico fuimus, Q. Curtio, rerum Alexandri Magni Macedonis Latino super omnes Græcos diligente, vero, candido, & prorsus integerrimo scriptore, si integrum haberemus. Hunc cum Animaduersionibus quibusdam meis obscuriorem adhuc alicubi & corruptiorem emendare statuissem & illustrare, iamque eò rem deduxissem, vt publicum spectaremus, aliquam earum partem honori tui quoque nominis inter alios inscribere placuit & ex mea ipsius addictissima*

tibi voluntate, & de sententia non mei tantùm amantißimorum, sed & tui studiosißimorum amicorum. Causas & ego non paucas neque leues habebam, & illi plures grauioresque subiiciebant: quibus hic prolixius enumerandis puto equidem supersedendum. Nec enim opus est omnes dici, & tu potißimas ipse facilè vides. Me quidem præter illam neceßitudinem, quæ cum magnifico Præside tibi intercedit (hæc enim sanè etiã ita suadebat, demerendum te quoque mihi, qui illum hoc genere coluißem:) & Eruditio ipsa tua & Virtus, quas in omnibus obseruo: tum, ut nobilitatem maximam & splendorem alium hic sanè omittam, munus propriè tuum in incluta hac Rep. impellebat. Scholarcha es, usitato nostris titulo, præses hic literarum, quasi quidam Apollo, doctrinæ omnis & huius studiosorum promotor, doctorum etiam ipsorum caput. Me igitur inter eos quocunque aliàs loco, postquam in hanc urbem siue fatum, siue fortuna deduxit, agnoscere te etiam unà cum aliis principem ac ducem nostrum æquum est, & honorem habere omnem tibi, qui vel officio tuo debetur, si non meritis etiam: quæ tanta tamen in omnem partem eruditionis, & huic quicunque quocunque

modo

modo adhærent, vt plus à ſingulis debeatur, quàm præſtari ab omnibus poſſit. Ego; quod poſſum, facio: tu cultum meum reſpice modò, & accipere dignare quod nunc offerimus exiguum donarium, cui inſcribo, quod antiquitus ſolebant, qui puſilla pro facultate quiſque ſua Diis conſecrabant:

ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.

D 5 VAL.



VAL. ACIDALII AD Q. CVRTII Libr. IV.

ANIMADVERSIONES.

DE Curtio miror ſæpè, nonnunquam & indignor, doleo quidem ſemper, non tàm quòd ad manus noſtras peruenit corruptus ſic & vitioſus; hæc enim ſanè cum omnibus: nec quòd tam multis locis mutilus ac lacer; hæc cum pleriſque: nec quòd integris libris & ipſis adeò primis ceu capite truncatus; hæc quoq; cum multis communis illi eſt fortuna: quàm quod nec ortum eius ſatis certò, nec ætatem, qua vixerit ac ſcripſerit, ſcimus vllo modo. quæ illi tamen ipſa ſors non etiam omninò ſic peculiaris, vt parem ſociumque habeat neminem: illa autem vix omninò quemquam calamitas extra Curtium afflixit, vt reliquorum ſcriptorum nemo mẽtionem eius vſquam vel vno verbo, certam dico mentionem & indubitatã faciat, ad vnum omnibus tacentibus quaſi de compecto, vt conſpiraſſe videantur ad ſupprimendum hominis nomen, & famam prorſus opprimendam. In hoc quis non indoleat? quis non miretur & indignetur? Dignus ille mehercule ſcriptor, qui ab omnibus prædicaretur,


tur, quem penitius & totum noſceremus. Ac laborarunt in eo viri docti ſanè multũ, vt quando indiciis & argumentis certis inueniri hîc nihil poteſt, coniecturis aliquid ſagaciter indagaretur: quorum nos induſtriam diligentem amamus & laudamus, ſed hanc ipſam vanam cum ipſis deploramus. Nec diuerſas hîc diuerſorum opiniones affero, quia nullam ipſe ſtabilire poſſum, quod contrà poſſim, ſi libeat, omnes refutare. Sed hoc cùm non libet, tum opus non eſt: caduntque ipſæ per ſe ſingulæ tibicine infirmiſſimo ſuffultæ. Et tamen ſi quid in hanc rem poſcis, ad Cl. Lipſium te ablego: quem audies in arduo ad Taciti Annal. XI. Commentario & de aliorum ſententiis, & cenſura ipſius, ambigua tamen hac ipſa, non eleganter minus quàm eruditè diſſentem. Nos hoc agamus, & ſuperſtites auctoris noſtri libros à mendis ſuperſtitibus, quod opis Muſæ nobis dant, vt cœpimus, porrò liberemus.

Pag. 38. *Atque illi cum multos imminere tantæ ſpei cernerent, ſingulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes, ſtatuunt neminem eſſe potiorem quàm Abdalonymum.*

Conſtanter omnes membranæ Modij *adulantibus*, quod cõſiderare iubet, quibus otium & ingenium eſt. Magna verò res, quæ confieri ſine otio & ingenio non poſſit. Quid facilius quàm coniicere? *ſingulis amicos Alexandri*

VAL. ACIDALII AD Q. CVRTII Libr. IV.

ANIMADVERSIONES.



E Curtio miror ſæpè, nonnunquam & indignor, doleo quidem ſemper, non tàm quòd ad manus noſtras peruenit corruptus ſic & vitioſus; hæc enim ſanè cum omnibus: nec quòd tam multis locis mutilus ac lacer; hæc cum pleriſque: nec quòd integris libris & ipſis adeò primis ceu capite truncatus;hæc quoq; cum multis communis illi eſt fortuna: quàm quod nec ortum eius ſatis certò, nec ætatem, qua vixerit ac ſcripſerit, ſcimus vllo modo. quæ illi tamen ipſa ſors non etiam omninò ſic peculiaris, vt parem ſociumque habeat neminem: illa autem vix omninò quemquam calamitas extra Curtium afflixit, vt reliquorum ſcriptorum nemo mẽtionem eius vſquam vel vno verbo, certam dico mentionem & indubitatã faciat, ad vnum omnibus tacentibus quaſi de compecto,vt conſpiraſſe videantur ad ſupprimendum hominis nomen, & famam prorſus opprimendam. In hoc quis non indoleat? quis non miretur & indignetur? Dignus ille mehercule ſcriptor, qui ab omnibus prædicare-

tur,

tur, quem penitius & totum noſceremus. Ac laborarunt in eo viri docti ſanè multũ, vt quando indiciis & argumentis certis inueniri hîc nihil poteſt, coniecturis aliquid ſagaciter indagaretur: quorum nos induſtriam diligentem amamus & laudamus, ſed hanc ipſam vanam cum ipſis deploramus. Nec diuerſas hîc diuerſorum opiniones affero, quia nullam ipſe ſtabilire poſſum, quod contrà poſſim, ſi libeat, omnes refutare. Sed hoc cùm non libet, tum opus non eſt: caduntque ipſæ per ſe ſingulæ tibicine infirmiſſimo ſuffultæ. Et tamen ſi quid in hanc rem poſcis, ad Cl. Lipſium te ablego: quem audies in arduo ad Taciti Annal. XI. Commentario & de aliorum ſententiis, & cenſura ipſius, ambigua tamen hac ipſa, non eleganter minus quàm eruditè diſſerentem. Nos hoc agamus, & ſuperſtites auctoris noſtri libros à mendis ſuperſtitibus, quod opis Muſæ nobis dant, vt cœpimus, porrò liberemus.

Pag. 38. *Atque illi cum multos imminere tantæ ſpei cernerent, ſingulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes, ſtatuunt neminem eſſe potiorem quàm Abdalonymum.*

Conſtanter omnes membranæ Modij *adulantibus*, quod cõſiderare iubet, quibus otium & ingenium eſt. Magna verò res, quæ confieri ſine otio & ingenio non poſſit. Quid facilius quàm coniicere? *ſingulis amicos Alexandri*

VAL. ACIDALII AD Q. CVRTII Libr. IV.

ANIMADVERSIONES.



E Curtio miror ſæpè, nonnunquam & indignor, doleo quidem ſemper, non tàm quòd ad manus noſtras peruenit corruptus ſic & vitioſus; hæc enim ſanè cum omnibus: nec quòd tam multis locis mutilus ac lacer; hæc cum pleriſque: nec quòd integris libris & ipſis adeò primis ceu capite truncatus; hæc quoq; cum multis communis illi eſt fortuna: quàm quod nec ortum eius ſatis certò, nec ætatem, qua vixerit ac ſcripſerit, ſcimus vllo modo. quæ illi tamen ipſa ſors non etiam omninò ſic peculiaris, vt parem ſociumque habeat neminem: illa autem vix omninò quemquam calamitas extra Curtium afflixit, vt reliquorum ſcriptorum nemo mētionem eius vſquam vel vno verbo, certam dico mentionem & indubitatā faciat, ad vnum omnibus tacentibus quaſi de compecto, vt conſpiraſſe videantur ad ſupprimendum hominis nomen, & famam prorſus opprimendam. In hoc quis non indoleat? quis non miretur & indignetur? Dignus ille meherculè ſcriptor, qui ab omnibus prædicaretur,

tur, quem penitius & totum noſceremus. Ac laborarunt in eo viri doctì ſanè multū, vt quando indiciis & argumentis certis inueniri hîc nihil poteſt, coniecturis aliquid ſagaciter indagaretur: quorum nos induſtriam diligentem amamus & laudamus, ſed hanc ipſam vanam cum ipſis deploramus. Nec diuerſas hîc diuerſorum opiniones affero, quia nullam ipſe ſtabilire poſſum, quod contrà poſſim, ſi libeat, omnes refutare. Sed hoc cùm non libet, tum opus non eſt: caduntque ipſæ per ſe ſingulæ tibicine infirmiſſimo ſuffultæ. Et tamen ſi quid in hanc rem poſcis, ad Cl. Lipſium te ablego: quem audies in arduo ad Taciti Annal. XI. Commentario & de aliorum ſententiis, & cenſura ipſius, ambigua tamen hac ipſa, non eleganter minus quàm eruditè diſſerentem. Nos hoc agamus, & ſuperſtites auctoris noſtri libros à mendis ſuperſtitibus, quod opis Muſæ nobis dant, vt cœpimus, porrò liberemus.

Pag. 38. *Atque illi cum multos imminere tantæ ſpei cernerent, ſingulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes, ſtatuunt neminem eſſe potiorem quàm Abdalonymum.*

Conſtanter omnes membranæ Modij *adulantibus*, quod cōſiderare iubet, quibus otium & ingenium eſt. Magna verò res, quæ confieri ſine otio & ingenio non poſſit. Quid facilius quàm coniicere? *ſingulis amicos Alexandri*

xandri ob n.r.c. adulantibus. Mutarunt hoc primitus, qui id verbum cum accusandi casu non ferebant. Cicero tamen sic etiam apud Nonium: & vetustiores ferè semper, qui *Adulo* dicebant, vnde Tullius *adulor* passiuo flexu & significatu.

Ibid. *Tum rege eo salutato, alter ex his, Habitus, inquit, quem cernis in manibus meis, cum isto squalore permutandus est: ablue corpus illuuie, veternoque & sordibus squalidum. cape regis animum & in eam fortunam, qua dignus es, istam continentiam perfer.*

Non omittenda fortasse particula fuit, quã vulgati præferunt, *permutandus est tibi.* Sequentia Modius sic scripsit de Palmerij sententia: nam vulgò vbique: *illuuie æternisque sordibus.* è quo nescio quid aliud extricandum etiam videtur. Mihi adeò Phœbus hîc non fauet, vt verum assequi vlla coniectura possim: etsi multis quidem tentauimus, è quîs vnam atque alteram apponemus, vt quod mihi sæpè accidit in aliis, alij vicissim nostrâ ad verum ducantur hallucinatione. Poterat facilius, *illuuie veternique sordibus.* æquè facilè, *tetrisque,* vel *ceterisque.* Nam illud opinor licenter nimis: *ablue corpus illuuie squalidum, detersisque sordibus cape regis animum.*

Ibid. *Sed vt cunctanti squalor ablutus est, & iniecta vestis purpura auroque distincta: & fides à iurantibus facta: serò iam rex iisdem comitantibus in regiam peruenit.*

Sequi

Sequi amicum monentem debuit Modius, qui *seriò* cum hác eadem diſtinctione volebat, & rectè interpretabatur. Hoc apud ipſum vide. Serum vt factum ſit longo ſermone, fieri poteſt: verùm & ambiguum; & quid ad rem? Ad rem autem quantò minus, ſi quid in Suetonio ſimile?

Pag. 40. *Sed eos Amyntas prælio ſuperatos in vrbem compellit, caſtriſque poſitis, victores ad populandos agros velut in medio poſitis hoſtium cunctis agebantur.*

Neque vt edidit, neque vt in Notis coniicit Modius, rectè locus adhuc emendatus: cuius in tanta lectionum varietate magna difficultas. Hanc tamen ſuperaſſe mihi videor, & ex ſcripturis omnibus aliquid ſeligens, ita tandem conſtitui verba & ſententiam, vt ſinceritati vtrorumque vix amplius quidquam deſit. Diuerſitatem lectionum hîc apponere non libuit, tu apud Modium vide, qui prolixe conſignauit. In membranis autem nuſquam verbum *eduxit*, quod expungimus igitur ex hoc manipulo: *velut* in omnibus eſt; quod ægre mutes, niſi ex *ac velut*, facias *huc illuc.* Iam pro *in medio poſitis*, emendo *incompoſitis*: pro *omnibus*, *agminibus*: pro *cunctis* denique *ſecuri*. Ita partibus refectis integrum reſtitui locum: *caſtriſque poſitis, victores ad populandos agros huc illuc, incompoſitis agminibus, hoſtium ſecuri, agebantur.* Quomodo, ſi non perſanatus eſt, audebo dicere, vix alius aliter ſanabit,

nabit. Vnicè probant sequentia ista: *Tamen palantes & victoriæ fiducia incautos ostentans.*

Pag. 42. *Nec vlla tam firma moles est, quam non exedant vndæ, & per enixus operum manantes, & vbi acrior flatus existit, summi operis fastigio superfusæ.*

De ceteris Modius benè: *nexus* non erat penitus damnandum. Per hoc quis compages non intelligat, quæ soluuntur aquis intermanantibus? Sed nec *enixus* ego contrà damnem. Elegantem id quoque sensum parit. Ceterùm insuauis iteratio, *operum*, & mox *operis*. Vide ne omittendum posterius, legendumq́; , *summo fastigio superfusæ.*

Pag. 44. *Speciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronuntiat, dexteram porrigentis: illo duce, illo aperiente in vrbem intrare se visum.*

Scitum mehercule somnium de Hercule, siue finxit Alexander, seu verè somniauit. Sed multò etiam scitius in hanc ipsam rem apud Plutarchum, siue & ipsum verum, siue à Græculis excogitatum, quod libenter huc transfero. In Alex. vita. Σάτυρος αὐτῷ φανεὶς ἐδόκει προσπαίζειν πόῤῥωθεν. εἶτα βουλομένου λαβεῖν, ὑπεξέφυγεν. τέλος δὲ, πολλὰ λιπαρήσαντος καὶ περιδραμόντος, ἦλθεν εἰς χεῖρας. Οἱ δὲ μάντεις, τοὔνομα διαιροῦντες, οὐκ ἀπιθάνως ἔφασαν αὐτῷ, Σὴ γενήσεται Τύρος. Vbi sincera vix sunt auctoris extremà hæc verba, quæ glossam omninò sapiunt. Nam ille indubiè vocem ipsam diuisit tantum, & scripsit Σὰ Τύρος: nec aliter respon-

respondiſſe veriſimile eſt vates ſiue coniectores. Et interpretationis, & narrationis adeò gratia omnis perit, ſi quid inſuper addatur.

Pag. 45. *Igitur muniẽntibus coria velaq; iuſſit obtendi, vt extra teli iactum eſſent: duasq; turres ex capite molis erexit.*

Neſcio an temerè diſcriminanda in genere iſto locutionis, *ictus* & *iactus teli*. Differre meritò videantur: ac vereor, ne ſæpè loco alterius alterum legamus. Etenim vis eorum diuerſa nonnihil, ſi penitius introſpiciamus. Extra teli iactum eſt, quò pertingere iacta tela nequeunt: extra ictum, quò perueniunt, ſed ſine noxa, prohibito illapſu aut tactu. Quod ſi admittitur, hic nempe legendum potius *ictum*. Neque enim aberant hi tam procul, vt iáci in eos tela non poſſent: ictui ſaltem eorum obnoxij non erant, coriis velisque obtentis. Quæ eadem ratio in loco libri 5. *Cæſaq; materies cratibus & pluteis faciendis, vt qui turres admouerent, extra teli iactum eſſent.* Contrà, hoc libro inferius: *Latitudinem quoque aggeri adiecit, vt turres in medio excitatæ procul teli ictu abeſſent.* Sic enim editio Modiana exhibet, vbi vulgares haud dubiè melius *iactu*. Senſus enim ille: adiectam aggeri latitudinem tantam, vt excitatæ in medio turres ab extremo aggeris abeſſent teli iactu, id eſt, ſpatio tanto, quo iacta pertingere tela non poſſent. Sed nimis hæc tota diſtinctio tenuis, & fortaſſe ſuperuacua: mihi

mihi tamen vſque adeo leuis & ieiuna non viſa, quæ notari tribus verbis non mereretur.

Pag. 46. *Ventus motum ex profundo mare illiſit in molem, crebrisque fluctibus compages operis verberatæ laxauêre, ſaxaque interluens vnda medium opus rupit.*

Non ignoramus, vſurpari *laxauere* ſic poſſe, quomodo alia innumera agendi formâ, ſenſu patiendi: ſed à Curtio vſurpatum quis nobis probat? Cur autem ineptum ait Modius, *ſe laxauere?* Scilicet ita non alij, non Curtius ipſe ſolet. Hic tamen lib. 3. *Paullatim deinde laxare ſe ſinus montium, & maius ſpatium aperire cœperant.* Mala quædam ſcabies eſt & pruriginoſa libido mutandi, ſi quid nouitatis ſpecie blanditur. Ac ſæpe vulgatæ lectiones defendendæ nobis, immeritò ab aliis damnatæ: in quo equidem non minus de Curtio benè meremur, quàm vbi comminiſcimur ipſi nouas. Etiam is corrigit, qui corrigere prohibet, vbi nihil corrigendum. Nec tamen huius generis omnia perſequi nobis hîc integrum: quod curæ foret, ſi nouam moliremur editionem. Sed quorſum aliam repente, tot vbique exemplaribus, quibus nihil niſi bibliopolas, &, ſi forte, bibliothecas oneremus, tineiſque & blattis nidum ac cibum paremus?

Ibid. *Tum humus aggerebatur, ſuper quæ alia ſtrue ſaxorum arborumque cumulata, velut quodam nexu continens opus iunxerant.*

Lego,

Lego, *superq́, alia strue.* Et verborum nimium ſim prodigus, ei ſi probando vnum adeò impendam.

Pag. 47. *Quos (muros) Tyrij raptim obstructis ſaxis refecerunt; interiorem quoq; murum, vt ſi prior fefelliſſet, illo ſe tuerentur, vndiq; orſi.*

Non abundat equidem hoc *vndiq;*: nec fruſtra metus eſt tamen, ne ſuperſit, è ſequentibus temerè repetitum. Nam ſtatim ecce: *Sed vndiq; vis mali vrgebat.* Inſuauis autem iteratio talis.

Pag. 49. *Clypeos verò æneos multo igne torrebant quos repletos feruida harena cœnoque decocto è muris ſubitò deuoluebant: nec vlla peſtis magis timebatur: quippe vbi loricam corpusq; feruēs harena penetrauerat, nec vlla vi excuti poterat, & quicquid attigerat, perurebat.*

Mirum verò, ſi arena non loricas modò, ſed & corpora ipſa penetrauit. Illud creditu perfacile, hoc fidem non meretur. Scribe mecum, *corpus vſq;* nam per loricam vſque ad corpus penetraſſe vult, & rei veritas non aliter patitur. Omiſſa eſt prępoſitio venuſtè, atq; ita lib. etiam 8. de Indis: *Corpora vſq; pedes Carbaſo velant.*

Pag. 50. *Vtrisq; lętus fuit beluæ aſpectus: Macedones iter iaciendo operi mōſtraſſe eam augurabantur: Tyrij Neptunum occupati maris vindicem abripuiſſe beluam ad molem breui profectò ruituram.*

Expedita ominis interpretatio, quod Macedones; impedita, quod Tyrij ſibi capiebant: & hęc impeditior ex hac ipſa lectione, quam Mo-

 dius

dius è scriptis libris dedit, cui vulgata minus placuit: *arripuisse beluam, ac molem*, &c. Ex ea tamen emendationem ego, & ex emendatione vim ominis elicio, scriboque ita: *Neptunum occupati maris vindicem arguisse beluam, ac molem b. p. ruituram*. Sic nempe Tyrij interpretabantur, quasi bellua cõspecta Neptunum argueret, qui se vindicẽ profiteretur occupati maris: ac ruituram indè profectò molem, quia cùm se belua applicuisset ei, mox ab eiusdẽm capite rursus in altum se immersisset. prorsus vt hæc in præceps se dedisset, ita molem Neptuni ope datam iri.

Pag. 51. *Plures deinde Macedonum naues superueniunt, & rex quoq; aderat, cum Tyrij inhibentes remos ægrè euellere nauẽ, quæ hærebat, portumq; omnia simul nauigia repetunt.*

Vulgatum *remis* Modius non audit, ego nec hoc nouum *remos*. Vtrum autem melius; rationem certè non ineo, cur vel remos, vel remis nauem inhibuerint. Quin contra faciundum fuit: atque omninò corrigo, *innitentes remis*. Vt euellerent nauem, remis incumbebant, remos concitabant, acrius remigabant.

Ibid. *Ipse in altißimam turrim ascendit ingenti animo, periculo maiore.*

Magis ad animum Alexandri, *ingenti periculo, animo maiore*. Maior enim ille semper omni periculo: & si octauo libro *Tandem, inquit, par animo meo periculum video.*

Pag. 54. *In vtro statu ambo essent si solus ignoraret,*

quam-

quamprimum Marte decerneret: se quoq; cum transiret mare non Ciliciam aut Lydiam, quippe tanti belli exiguam hanc mercedem: sed Persepolim, caput regni eius, Bactra, deinde Ecbatana, vltimíque orientis oram imperio destinasse.

Non nemini displiceat in illis istud *quoq;*, sic quidem nudè positum. Nam additâ particulâ magis ferre vulgus possit: *se tum quoq;, cum transiret mare.* At Curtius suo eleganti more omittit eam, atque ita cum sæpè, tum lib. 6. *Darium quoque cum occidisset Bagoam, hac excusatione satisfecisse popularibus, quòd insidiantem sibi interemisset.* Nam ita prorsus & illîc capies. Quæ hic sequuntur, in vulgatis meliora. Nos adiuuamus, & totum scribimus: *Se quoque cum transiret mare, non Ciliciam, aut Lydiam, quippe tanti belli exiguam mercedem, sed Persepolim caput regni eius, Bactra deinde, & Ecbatana, vltimiq; orientis oram imperio destinasse.*

Pag. 55. *Namque inter Apollonidem & duces militum orta seditio irrumpendi in vrbem occasionem, dedit.*

Quinam obsecro hi duces? Apollonides certè vnus. sed hunc cur velut ex eorum numero excludit? Si istum non excludit, addere debebat & reliquos. Qui autem hi, iterum dico, reliqui duces? Nulli præter Apollonidem & Athenagoram. Huius nomen à librariis supinâ negligentiâ omissum inseres vicissim, & scribes: *Namque inter Apollonidem & Athenagoram duces militum. Hos duces paulò antè Pharnabazus faciebat: sed*

Pharnabazus Darij prætor comprehensis, qui res ad Macedonas trahebant, rursus Apollonidi & Athenagoræ suarum partium viris vrbem cum modico præsidio militum tradidit. Inter eos dissensio & seditio orta dedit Alexandrinis irrumpendi occasionem.

Pagin. 58. *Omnibus territis, quia quàm altè penetrasset telum, lorica obstante non cognouerant.*

Quidquid alij dicant, aut legant, hanc omninò certam emendationem Modius credit. Credat sanè, dum ego non esse sciam. Quid enim est, quod verba ista sonant? Lorica scilicet obstabat, quo minus cognoscerent, quàm altè telum penetrasset: & hoc quia non cognouerant, miseri terrebantur. Nihil languidius dici potuit, vix absurdius etiã quidquam. Præsto veram sententiam, quam lectio conficit vulgata: *quia nunquam tam altè penetrasse telum lorica obstante cognouerant.* Verba etiam ipsa non dubito quin sincera: quæ sic iterum interpolauit nouus editor Lugdunensis, vt neque Modij, neque alias aliorum sequeretur editiones, & sequeretur vtrorumque: credo, vt neutras offenderet, vel ab vtrisque etiam gratiam iniret. Fecit ἀνώνυμος Aristarchus: *quia tam altè penetrasse telum, lorica obstante, non cognouerant.* Egregiè: & nisi vnicus hic conciliator esset pugnantium scripturarum, æternum fluctuaremus. Atqui certiores ipsi sumus hoc hîc auctorem velle. Nouum & mirum visum Macedonibus, quòd per loricam ita adacta sagitta esset, vt in ipso humero exstaret, qui nunquam

quam ante cognouiſſent, illâ obſtante, tamen adeò altè telum penetraſſe. Ex ea vulneris inſolentia terrorem animis concipiebant.

Pagin. 59. *Cum ſuppreſſus paulò antè ſanguis medicamento, longius manare cœpit & vulnus, quod ſtupens adhuc dolorem nō mouerat, frigente ſanguine intumuit.*

Inficetiſſimam gloſſam, *quo retentus erat*, rectè Modius expulit: ſed idem vnde aut qua cauſſa *ſtupens* mutauit, pro quo alibi *recens?* Ineptum id hercule. nam ſtuporem in vulnere hoc medici non agnoſcent: nec per eos quod dolorem non mouet ipſum ſtupere dixeris. ſtupet, quod illum non ſentit: quamquam ne id quidem omne. Sed hæc non ſunt huius loci. Vulgatum *recens* melius ſanè, nec germanum tamen, vt opinor. Ex illo *ſtupens*, quod è membranis credo Modius promſit, emendo *tepens*: vnde natum quidem & ipſum *recens*, quia primum abierat in *repens*, mox in iſtud, quod vulgati tenuerunt. Et *ſtupens* etiam non aliunde. nam prima erroris indoles, quòd temerè aliquando *tupens* ſcriptum eſſet. Calida autem vel tepentia adhuc vulnera dolorem non cient, qui frigeſcentibus moritur demum. Hoc qui neſcit, aut non credit, ei quid, niſi vt in ſeipſo diſcat, & expertus credat, optem?

Ibidem. *Linqui deinde animo, & ſubmitti genu cœpit: quem proximi exceptum in caſtra receperunt.*

 Literulâ

Literulâ vnâ minus hoc rectè, quamquam sic etiam rectè. Sed auctor omnino *quum*, nō *quem* scripsit.

Ibid. *Batim egregia edita pugna, multisque vulneribus confectum deseruerant sui: nec tamen segnius prælium capessebat, lubricis armis suo pariter atque hostium sanguine: cum vndiq; telis circumducto Alexander, aliàs virtutem etiam in hoste miratus, non vt voluisti, inquit, morieris Bati, sed quidquid in captiuum inueniri potest, passurum esse te cogita.*

Hæc quoque Modio debemus, à multis inquinamentis repurgata. Ac quæ eiecit, quæ restituit, eorum improbaremus nihil prorsus, vnum nisi nos moueret, quo nec immeritò alij moueantur. Is consensus est librorum in hoc additamento, *insolenti gaudio iuuenis elatus*. consensus inquam scriptorum pariter omnium & cusorum. Nec enim est de nihilo tam arcta, tam pertinax conspiratio: & quid vult sibi tamen, aut quò tendit? Ego cum Modio ferri nego ea posse: sed attextum merum nec ausim affirmare. An igitur emendanda statuemus? equidem si possunt, quoquo modo. Verùm nos id non sumemus nobis: tentabimus tamen, quod impunè liceat, sine periculo Curtij, aut meo. Gaudium non ibi conuenit profectò, magis ira, de qua præcessit, *ira quoque accensus*; & sequitur, *ira deinde vertit in rabiem*. Ergo possimne sic interpolare? *Cum vndique telis circumducto Alexander, insolenti incendio mentis efferatus, aliàs virtutem,*

tem, &c. Ira sanè feruor, ignis, incendium. sed piget hercule probare, quod vereor, vt cuiquam probum. Mihi quidem ipsi non esse palàm testor. οὐ γὰρ μοί δοκέει μύθοιο τελευτὴ

Τῇδέ γ' ὁδῷ κρανέεσθαι.

Aliud inueniat alius, si tamen inueniri quidquam à quoquam potest, aut quæri adeò debet. Ecce autem quid hoc, quod sub acumine ipso stili, non quæsitum, sponte se nobis ingerit? vide tu, si quid ad rem facit. Fortasse nihil in iis mutandum, nisi vt *odio*, pro *gaudio* substituatur.

Pag. 62. *Tandem ad sedem consecratam Deo ventum est. Incredibile dictu, inter vastas solitudines, ita vndique ambientibus ramis, vix in densam vmbram cadente sole, contecta est: multique fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt siluas.*

Alios hîc nihil offendisse non miramur. est enim non sanè nimis asperum, quod meas tamen aures radit. Leuigabis vnius adiectione literulæ, quæ geminanda, geminæ suæ occasione periit: *Incredibile dictu, inter vastas solitudines sita, vndiq; ambientibus ramis, vix in densam vmbram cadente sole, contecta est. Sita* nempe sedes. *Ita* superuacuum, nisi ita mutes.

Pagin. 64. *Nihil amplius quæsiuerunt, quàm an auctor esset sibi diuinis honoribus colendi suum regem. Hoc quoq; acceptum fore vates Ioui respondit, vt ipsi victorem regem diuino honore colerent.*

Aut nimis hîc ego video, aut nihil alij viderunt. Equidem non pannus magis in purpura conſpicuus, quàm iſte mihi in Curtio adtextus. A mala manu puto appendicem illam totam, *vt ipſi victorem regem diuino honore colerent.* Quorſum enim additamentum tale? Periculum erat, ne caperemus ſatis, quid auctor vellet, niſi ipſe adderet ſcilicet, quod ſine nauſea non legeremus. Gloſſema eſt, quod tu eiice lector; & vindica nobiſcum ab impura inculcatione puriſſimum caſtigatiſſimumque ſcriptorem.

Pag. 65. *Ad cuius interitum vindicandum, quanta maximè celeritate potuit, contendit.*

An nõ melius? *quanta maxima celeritate potuit.* Sic enim potius Latini. ac mirum, in ſuperius etiam ſic fuit emendandum: *Beſſum quoque Bactrianorum ducem perquam maximo poſſet exercitu coacto, deſcendere ad ſe iubet.* legendum inquam fortè, *Bactrianorum ducem properè quanto maxime poſſet exercitu coacto.* Curtius, aliique ſic plerumque: nec tamen alibi *perquam* damnem, hîc tantum vix cenſeam genuinum, eo, quòd *propter* in quibuſdam legitur, vnde *properè*, vel *properiter* eliciendũ videtur, ac potius illud, quod magis tritum, & noſtro familiare. Alterum ſub eadem voce in aliis corruptum, ſuo loco, ſuo tempore oſtendemus.

Pag. 67. *Omnia longinquarum gentium auxilia Babylonem contrahi iuſſit. Bactriani, Scythæque, & Indi conuenerant. Nam & cæterarum*

rum gentium copiæ partibus simul affuerunt.

Legendum ac distinguendum omninò: *Bactriani, Scythæque, & Indi conuenerant iam, & ceterarum.* Nam illud non affirmabo postrema etiam mutanda: *paribus studiis affluxerunt.* Quinimò in his nihil mouendum edico.

Pag. 68. *Hîc commeatuum sarcinarumq; maiore parte deposita, Lycum amnem ponte iunxit, & per dies quinque, sicut antè Euphratem, traiecit exercitum.*

Purum hoc esse, non ipsi Fidei crediderim, etiam iuratæ. Nam quid ista sibi vult constructio tam impedita? Ad *Euphratem* quid verbi referes? *traiecit* ne an *iunxit*? illud ex ordine debes, hoc non potes. Atqui iam & illud occupatum, vt cum *exercitum* iungâtur. Neque igitur potest vel cum illo. Quod si cum hoc possit, antè verba traiicienda fuerint in hunc modum: *Lycum amnem, sicut antè Euphratem, ponte iunxit, & per dies quinque traiecit exercitum.* Verùm & audax nimis hoc, & rei parum conueniens. Nam id quidem notare non voluit auctor, amnem Lycum à Dario ponte siciunctũ, quemadmodum anteà Euphratem. ita enim cur non alios enumerat simul, quoscunque pontibus aliquando ille iunxit? & hoc verò quorsum annotari debuit? illud autem nota dignum, quod & voluit omninò, exercitum nunc Lyco per dies adeò quinque, quot diebus ipsis olim Euphrate, traiectum. Nam sic lib. 3. me-

morabat: *Ad Euphratem contendit iunctoque eo pontibus quinque tamen diebus traiecit exercitum, Ciliciam occupare festinans.* Traductio ergo minimè tentanda. Sed ita structuræ manet illud inconcinnum: cui mederi quomodo posset, olim variè cogitaui. Duos nunc proponam modos, quorum erit vel vterque bonus, alter indubitatò verus. Nam & sic leuiter expediri possit: *Lycum amnem ponte iunxit, & eo* (vel, *eoq;*) *per dies quinque, sicut antè Euphrate, traiecit exercitum.* quod etsi verisimile, verum ipse tamen haud agnosco.

Nunc quod ponam, ita mihi certum, vt ex tripode Delphico credam nihil vnquam exauditum certius. Mihi adhuc dico: sed fore nec aliis dubito, si verè æstimabunt. Nulla mutatione opus, sed planè deletione vnius vocis, quæ ad finem ab inepto glossographo, siue lectore diligente nimis, adiecta. Hac rursus eiecta turbatrice, quid tranquillius & liquidius istis? *Lycum amnem ponte iunxit, & per dies quinque, sicut antè Euphratem, traiecit.* Amnem traiicere non Latinum minus omnes sciunt, quàm amne exercitum. Et in illo subintelligitur hîc nempe, cum exercitu: quod qui expressius scriptum à Curtio volebat, admonitus gemino, quem paullò ante adduximus, loco, adscripsit, securus antecedentium, quæ non patiebantur. Sed & hunc satis res refutat ipsa, & sententiam nostram per se eadem probat,

bat, ne nos hîc verbum vlterius perdamus.

Ibid. *Opportuna explicandis copiis regio erat, equitabilis & vasta planicies.*

Audaculus aliquis, ne nihil moueat, fortè mutet *æquabilis*: & hoc ſequentia dicat poſtulare: *Ne ſtirpes quidem & breuia virgulta operiunt ſolum, liberque proſpectus oculorum etiam quæ procul receſſere permetitur.* Atqui eadem faciunt pro altera voce, quam caue mutari ſinas, elegantem, & cuius gemina, quamquam contraria, habetur octauo libro. *Imber violentius quàm aliàs fuſus campos lubricos & inequitabiles fecerat.* Illud autem cuiuſuis ſit arbitrium, an malit, *equitabili & vaſta planicie*, caſu auferendi. Mea parum intereſt, & Curtij fortaſſe nihil.

Pag. 69. *Præcipuus erat labor eorum, qui humeris onera portabant: quippe cum ſemetipſos regere non poſſent, in rapidos gurgites incommodo onere auferebantur.*

Verba conſequa non ipſos, ſed onera abrepta volunt: *Et dum ſua quisque ſpolia conſequi ſtudet, maior inter ipſos, quàm cum amne orta luctatio eſt, cumulique ſarcinarum paßim fluitantes plerosque perculerant.* An ergo mutandum, *incommoda onera?* Minimè: nam & ipſi ſanè gurgitibus hauriebantur. Diodorus in hac re: τοῦδε ῥεύματος ἡ ὀξύτης πολλοὺς τῶν διαβαινόντων παρέσυρε, καὶ τὴν βάσιν τῶν σκελῶν παρῃρεῖτο. τό τε ῥεῦμα τοῖς ὅπλοις ἐμπῖπτον πολλούς τε παρέφερε καὶ τοῖς ἐσχάτοις κινδύνοις περιέβαλλεν.

Et

Et noſter antè: *ſed gradum firmare vix poterant, cum modò ſaxa lubrica veſtigium fallerent, modò rapidior vnda ſubduceret.* Quomodo ſequentia igitur prioribus aptabis, vt rectius hæreant? Me volente ſcribas: *in rapidos gurgites vnà cum incommodo onere auferebantur.* Inſertum à nobis, *vnà cum*, abſorberi facile potuit à proximi verbi prioribus ſyllabis, *incom.* Neq; pugnem tamen & hîc, ſi vulgatum retinere ſe quis malit.

Ibid. *Rex monere, vt ſatis haberent arma retinere, cetera ſe redditurum. ſed neque conſilium neq; imperium accipi poterat. Obſtrepebat hinc metus, præter hunc inuicem natantium mutuus clamor.*

Ad viuum aiunt non omnia reſecanda: me tamen id non tenet, quin minus concinnè putem iungi, *hinc* & *præter hunc.* Nam non ita quidem, qui diligenter orationem & Curtij exemplo ſtruunt. Alterutro deleto ſcabrum illud facile tollas. Nam elegantius, *obſtrepebat metus, præter hunc*: & adhuc elegantius, *obſtrepebat hinc metus, hinc inuicem natantium mutuus clamor.* Nam vtrumque vt retineatur, non ſic auſim interpolare: *Obſtrepebant pariter, hinc metus, hinc in. n. m. c.*

Pag. 70. *Audaciæ quoq; quà maximè viguit, ratio minui poteſt, quia nunquam in diſcrimen venit, an temerè feciſſet.*

Offendo hîc, etſi ſatis capio. Nempe hoc vult: minus audacem videri Alexandrum poſſe, nec temerarium culpandum, eò, quòd nullius

lius euentus periculi teſtetur, vllum vnquam temerè ſuſcepiſſe. Quia feliciter omnia ceſſerunt, nihil temerariò geſſiſſe probatur. Id etſ. clarum ita ſatis, locutione tamen iſta moueor; *Audaciæ ratio minui poteſt*, vt ſubeſſe aliud ſuſpicer. Quid enim illa ſonat? Rationis vox haud ſanè opportuna. quę quomodò minui dicitur? augeri potius: vt in audacia Alexandri plus fuiſſe rationis intelligatur. Sed non hoc ita expugnabimus: nec tentabimus quidē aliter, vt expugnemus. Maneat, ac perſtet, ſi quo modo cōſtat ſibi. Mihi quid ea vox ipſa Rationis ſubiecerit, apponam ſaltem, vt alij cogitent diligentius. Venit in mentem leuiter exiſtimare, an non rectius ſcripſiſſet Curtius: *Audacia quoque, qua maximè viguit, ratione niti poteſt.* Poteſt, inquit, audaciæ iſti ratio ſubeſſe, quando nunquam eò per eam deuentum, vt temeritas poſſet iudicari. Perpetua quippe felicitas temeritatē excludit: à ratione proueniat neceſſe eſt. *Nihil enim* (vt verè Darius ad milites ſuos hoc libro:) *nihil poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubeſt ratio. Licet felicitas adſpirare videatur, tamen ad vltimum temeritati non ſufficit.* Hæc igitur iſta illibata felicitas regis argumentum certiſſimum eſt non imprudentis audaciæ, ſed conſideratæ rationis. Atq; hoc non vanè fortaſſe Curtius: alij tamen, & ipſe aliàs ad Fortunam omnia aut pleraque eius refert. Pauca loca non aliorum, ſed huius ipſius vide libro 3. *Iam primum nihil ſine diuina ope aggredi videbatur. nam cum præſto vbique eſſet fortuna, temeritas*

meritas in gloriam cesserat. libro 8. *Fortuna indulgendo ei nunquam fatigata.* libro 10. *Fatendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit.* Sed in hac lite nihil vtilius feceris, nihil rectius, quam si Plutarchum consulas duobus libellis id ipsum propriè argumentum (περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τύχης, ἢ ἀρετῆς) luculenter & egregiè persequentem. Ex quorum posteriore non mihi tempero pauca verba describere, quibus pulcherrimè controuersiam ipsam ita decîdit, vt neque aduersum fortunam pronuntiet, & litem magis det tamen secundum virtutem & rationem. καὶ γὰρ εἰ διὰ τύχην μέγας γέγονε, μείζων ἐστὶν, ὅτι τῇ τύχῃ καλῶς κέχρηται. καὶ ὅσῳ τις ἂν μᾶλλον αὐτοῦ τὴν τύχην ἐπαινεῖ, τοσούτῳ μᾶλλον αὔξει τὴν ἀρετὴν, δι᾽ ἣν ἄξιος τῆς τύχης ἐγένετο.

Ibid. *Mazæus, si transeuntibus flumen superuenisset, haud dubiè oppressurus fuit incompositos in ripa: demum etiam per armatos adequitare cœpit.*

Dissiliit vox in duas, quas in vnam coge iterum & compelle, *perarmatos.* Ita superius: *Hoc modo instructo exercitu ac perarmato Babylone copias mouit.* Itemque eadem forma: *Nondum percurato vulnere.*

Ibid. *Biduo ibi statiua rex habuit, in proximum deinde pronuntiare iussit.*

Omissa hîc vocula, quam alij libri benè retinent: *in proximum deinde iter pronuntiare iussit.* Hæc necessaria: non illa, vt *diem* etiam addatur.

Ea venustè supprimitur. libro 6. *Pronuntiare deinde iter inposterum iubet.* libro 8. *Iamque iter parare inposterum iussus.* In Tacito id quoq; crebrum,. & magno Lipsio sedulò notatum.

Ibid. *Iam nec flumina posse adiri, nec sidera pristinum seruare fulgorem.*

Vanè nimium exaggerant, si ita dixerunt, *adiri.* Neque enim verum. quid enim adire prohibuerit? Sed non id verbi Curtius iis tribuit: à librario affictum, querelæ augendæ. *Vadari* credo auctor scripsit, aut *transiri*: sed illud potius, quod ad literas propius. Ad recentem quidem in transeundo Tigri casum respicitur saltem, in quo firmare gradum nō potuerant propter & fluminis rapacitatem, & saxorum lubricitatem.

Ibid. *Vastas terras, deserta omnia occurrere: vnius hominis iactatione tot milliū sanguinem impēdi.*

Modius ita maluit è libris, vt ait, scriptis. Mihi vulgati probiores, *in vnius h. iactationem,* etsi æquè & illud facias bonum, si *iactationi* substitueris pro *iactatione.*

Pag. 72. *Extincto igitur igne plurimum frumenti repertum est: copia aliarum quoq; rerum abundare cœperunt.*

Caue interpoles, quò libri fortasse quidam te inducant: *Ex. i. i. p. f. receptum est: copiam al. q. r. abundè repererunt.*

Pag. 75. *Pudicitiæ earū quæ supersunt curam haud secus quam parens agens, reginas appellas, speciem pristinæ fortunæ retinere pateris.*

Malim

Malim etiam *agis*, vt eodem omnia ſint flexu.

Ibid. *Nunc quidquid inter Helleſpontum & Euphratem eſt, in dotem filiæ offert. Tibi tradit Ochum filium, quem habes, pacis & fidei obſidem retine. Matrem & duas virgines filias redde.*

Placuit Modio ſic edere: cui vulgatum viſum ineptiſſimum. Mihi contrà tolerabile, quod in aliis: nihil hoc ineptius, quod ſubſtituit. Etenim quid eſt, *Tibi tradit, quem habes?* Si habet iam alter, quid alter tradat? Exēplaria reliqua vulgo: *in dotem filiæ offert, quam tibi tradit. Ochum filium quem habes*, &c. Amplector. filiam in matrimonium nempe tradit. Si quid omninò mutādum tamen, aliud quiduis potius admittam prę Modiano. Vel ſcribe: *in dotem filiæ offert. Tibi credit Ochum filium, quem habes: pacis & fidei obſidem retine: matrem*, &c. Vel: *in dotē filiæ offert, tibi cedit. Ochum filium*, &c. quod firmari videatur Alexandri reſponſo: *Hinc me depellite, vt ſciam veſtrum eſſe, quod ceditis.* Me tamen in vulgari iuuet conquieſcere.

P. 75. & 76. *Periculoſum eſt prægraue imperium: difficile eſt continere, quod capere non poſsis.*

Neſcio an fruſtra malim *prægrande*. Cauſſam quidem habeo verba, quæ ſubiiciuntur, *capere*, & *cōtinere*: quibus magnitudo potius reſpicitur quàm pondus. Etiam ipſa probare comparatio videtur: *vides ne vt nauigia quæ modum excedunt, regi nequeant?* quæ tamen ambiguè trahi pariter ad grauitatem pōteſt.

Pag. 76. *Tandem Parmenio, Ante ſuaſiſſem ait, vt captiuos apud Damaſcum redimentibus redderes.*

ingentem

ingentē pecuniam potuiſſe redigi ex ijs qui multi vincti virorum fortium occuparent manus.

Modio non probum ſatis illud *multi vincti*, nec quod dicat tamen habet. Ego etiam dubito, an non ſcribēdum potius, *qui ſimul vincti virorum f. o. m.* expedito magis & claro ſenſu iſto. qui nunc vincti occuparēt & quaſi vincirēt ſimul illorū manus, qui in cuſtodijs dediti nihil adiuuare vllâ aliâ operâ poſſent ipſum bellū. ita vinctos illos aliud eſſe nihil, niſi vincula ſuorum cuſtodum, certè impedimēta, per quæ nō liceret alibi melius vti ſtrenua virorum fortiū manu. Fit tamen hæc ſententia ipſa & ex receptalectione: quam parum nūc abeſt, quin eſſe veriorem & retinendam cenſeam. Latet fortaſſe vis eius in oppoſitione, qua *multi* illi non inuenuſtè oppouātur *vni* iſti *anui & duabus puellis*, de quibus mox ſubinfertur. Atque hoc ſanè placet, quod ipſum vt placeat clareatque magis, addendam initio copulam aio, quæ totam comprehenſionem in hunc modum nectat: *Tandem Parmenio, Et ante ſuaſiſſem, ait*, &c. huic enim reſpondet deinceps, *Et nunc magnoperè cenſerem.* Aptandæ igitur & diſtinctiunculæ. quod per ſe quilibet iam poterit, ne longa nos otioſaque verborum ſerie chartam occupemus.

Ibid. *Opimum regnum occupari poſſe conditione, non bello: nec quemquam alium inter Iſtrum & Euphratem poſſediſſe terras ingenti ſpatio interualloque deſertas.*

Non iniuria ſuſpecta mihi vox *deſertas*: nec

ſcio tamen ſatis, quam reponam. Cogito *diſſitas*, item *diſſeptas*, itemque *diſcretas*. Vna harum non dubiè vera. Quã malet quisque, legat ſibi: vel aliã ipſe inueniat magis cõmodã, ſi poteſt.

P.77. *Veram enimuero cùm modò milites meos literis ad proditionem, modò amicos ad perniciem meam pecunia ſollicitet, ad internecionem mihi perſequendus eſt, non vt iuſtus hoſtis, ſed vt percuſſor veneficus.*

Inſerenda copula, *ſed vt percuſſor & veneficus*: niſi iterandum potius ipſum *vt*. Nam diuerſi veneficus & percuſſor, & vtrumque increpat Dariũ diuersâ cauſsâ: percuſſorem, quia milites; veneficum, quia medicos ſollicitaret. Ac vide ne pro *amicos* hîc planè ſcribendum etiam *medicos*: de quo non pugnabo tamen. Ad Philippũ certè medicum, ſed eundem & amicum, reſpicitur, quem pecunia ingenti à Dario corruptũ Parmenio lib.3. regi nunciabat. Quod ad milites: hi & aliàs alij, & nunc paullò antè Græci literis tentati, non vt proderent modo, ſed etiam vel interficerent.

Ibid. *Eadem libertate dat mihi filiam: ſuam nempe quam ſcio alicui ſeruorum eius nupturam.*

Typographicum puto ſaltem mendum *libertate* pro *liberalitate*. Nam ſic libri alij habent; rectè. Præceſſit: *Quæ poſt Euphratem ſunt, liberaliter donat.* Vtrumque εἰρωνικῶς. Iidem etiam libri melius *ſcit*, vbi Modiani *ſcio*: quod nec opinor operarum σφάλμα. Tu corrige, qui vides vel à proximis verbis id flagitari: *Multum verò mihi*

præstat, si me Mazæo generum præponit.

Ibid. *Hoc regente, vtriusque terminos regni, id quẽque habiturum, quod proxima lucis aßignatura fortuna est.*

Leuiter interpunctum peccat in Modianis, quod tolle, vt iungantur, *Hoc regente vtriusque terminos regni.* Qui de regno certant, eorum fines belli fortuna regit.

P. 78. *Duo cornua diuiserat peditum, vtrimque lateri equite circumdato.*

Correxisse è membranis ait Modius, si credemus adeò correxisse. Nam ego priora sic adhuc puto corrigenda: *In duo cornua diuiserat peditem.* posteriora nego fuisse corrigẽda, *in vtrumque latus equite circumdato:* aut certè aio non necessariò fuisse. Nisi enim venusta etiam sic, certè non inuenusta, quantumuis idem clamet, quem (malum!) ita loqui?

Ibid. *Pedites his plurium gentium nõ immixtos, sed suæ quisque nationis iunxerant copias.*

Damnat iterum Modius impressos, qui habeãt, *mixtas*, ineptissimè. Quomodo tandẽ hoc vel ineptè? Ineptè mẽbranæ potius, nisi scribas etiam *immixtas.* Verba enim quî aliter strues, nisi copias iunxeris mixtas siue immixtas?

Ibid. *Persas deinde cum Marsis Sogdianisque Ariobarzanes & Oriobates ducebant. illis partibus copiarum Orsines præerat.*

Etiamnunc vulgatos libros acerbo iudicio, si iudicio tamen, damnat Modius. Vnde, ait, aut quæ hæc monstra? *Illi partibus copiarum, summa*

mæ Orſines præerat. Neſcio equidē vnde: ſed obſecro monſtra tu audes iſta? Tua magis, quæ produxiſti è membranis. quæ ſi tibi pro Apolline Delphico ſemper, age vaticinare indidem, quibus copiarum partibus præfuerit Orſines. Scribunt, *illis.* quibus? inquam ego. nempe quæ proximè nominatæ, Perſis, Mardis, Segdianis. Abi cum iſto oraculo. Non vides datos iam ijs ipſis duces Ariobarzanem & Oriobatem? Si id non videras, ipſa te hæc verba monere poterant inſulſiſſimæ ſententiæ. Cur enim partibus, & indefinitè illis, non vni alicui certæ dicatur præfuiſſe? Verùm quid diutius & meo & lectoris otio abutar? Iſto meridie clarius eſt, veram lectionem vulgatorum: qui partibus earum copiarum Ariobarzanem & Oriobatem, ſummæ earundem diſertè præficiunt Orſinem: aut ſi non hanc vſquequaque veram, certè falſiſſimam membranarum, quæ nec ipſæ ſuis verbis ſententiam bonam explicant, & optimam precedentium implicant, tum vniuerſam turbant prorſus & corrumpunt.

Ibid. *Hunc Armenij, quos minores vocāt Armenios, Babylonij, vtroſque Belitæ, & qui montes Coſſæorum incolebant, ſequebantur.*

Diſtinctiuncula & hic in vulgatis integra, apud Modium vitioſa. Res ita poſcit: *Hunc Armenij, quos minores vocant; Armenios Babylonij; vtroſque Belitæ.* In ijſdem forſan etiam rectius *incolunt*, quàm apud hunc *incolebant.*

P.79. *Cœli fulgor tempore æſtiuo ardenti ſimilis internitens ignis præbuit ſpeciem, flammasque ex Darij caſtris ſplendere velut latis tenderent præſidijs credebant.*

Hìc verò quę vulgò corruptiſſima, fecit Modius vt eſſent multò meliora. Nã optima necdum ego puto, nec ipſe fuit auſus affirmare. Fluctuat imò me ipſo magis, & neſcio quid alterius ſcripturę cõfingit etiã è mẽbranis. Hanc ipſius cauſa vellem omiſiſſet. nec erat periculum, ne præter eum alius de illa ſuſpicaretur. Nos autem quid habemus? Olim argutati ſumus, atque ita conabamur: *flammasque ex Darij caſtris ſplendere, velitatis temerè radijs, credebant*. id adeò ex ijſdem Modij membranis, quæ habent, *velut illatis temerè prædijs*. Ac noſtræ lectionis ſenſus erat iſte: credebant è Darij caſtris flammas ſcintillantes exſplendere, cùm radij fulgoris cœleſtis inter ſe temerario cõcurſu quaſi velitarentur. Ita enim videtur hoc fulgorum genus: quod ad illa referebã Ariſtotelica in libello de Mundo, ſi is Ariſtotelis eſt tamen ſatis certò: τῶν δὲ σελάων ἃ μὲν ἀκοντίζεται. ἃ δὲ σηρίζεται. ὁ μὲν οὖν ἐξακοντισμὸς ἐστὶ πυρὸς γένεσις ἐκ παρατρίψεως ἐν ἀέρι φερομένου ταχέως καὶ φαντασίαν μήκους ἐμφαίνοντος διὰ τὸ τάχος. Quæ ſic Apuleius noſter vertit: *Horum pleraque iaculari credas, alia labi, ſtare alia. Iaculatio igitur tunc fieri putatur, cùm meatu aeris impulſi generatus ignis, celeritatem ſui curſumque rapidæ feſtinationis oſtendit.* De his quidem ardoribus indubitatim locus

interpretandus: at de *velitatis*, siue *iaculatis*, quod etiam ipsum exinde conijciebam, valdè nunc hæremus. Displicet argutiola in verbis tota, quæ magis iam sobriè tractamus, & vestigia propius legimus vulgatæ lectionis. Sic tamen duplex quoque scriptura nata nobis. harum prior non contemnenda: *veluti laxis tenderet præsidijs. Tenderet* enim de Dario capi volo, non de castris *tenderent. Laxis* etiam in hac re melius: atque ita lib. 3. in re simili: *Ignes deinde totis campis collucere cœperunt, omniaque velut continente incendio ardere visa, cum incondita multitudo maximè propter iumenta laxius tentoria poneret.* Iam *veluti* non ob aliam caussam, nisi ne insuperhaberetur syllaba prior in *illatis*, quæ scilicet orta ex isto *i*, loco suo moto. Sed altera magis mihi probata, quæ quamuis licentior, est tamen aptior: *veluti laxius tenderent præsidia.* Ac præsidia capies hîc de ipso toto exercitu, nouo more, sed apud Curtium non planè nouo. Sic enim etiam superius hoc ipso libro: *Multis tamen saluti fuere Sidonij, qui intra Macedonum præsidia erant*: id est, qui erant in exercitu, siue pars exercitus Alexandri. Aliàs præsidia strictioris intellectus, qui vulgò adhuc solus notus. Hunc & hinc notemus, & porrò alibi inquiramus.

Ibid. *Alexander cognito pauore exercitus, signum vt consisterent dari, ante ipsos arma deponere ac leuare corpora iubet.*

In

In vulgatis *ante* non eſt, & abeſſe ſanè poteſt: in membranis autem ſi fuit, *inde* fortaſſe debuit emendari.

Pag. 80. *Tum verò vniuerſa futuri diſcriminis facies in oculis erat. armis inſignibus equi virique ſplendebant, & omnia interiore cura præparari: ſollicitudo Prærum agmina ſua interequitantium oſtendebatur, ac pleraque inania, ſicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor, ſollicitam exſpectatione mentem turbauerant.*

Quid dicemus? conſultò Modium hoc quoque, vt alia in eodem iſto loco mutaſſe, an operas erraſſe? Nam *intentiore* & libri reliqui habent, & planè ſic legendum. Præter autem illud, quod corrigi aliunde poterat, aliud eſt etiam in hoc loco, quod ex alijs non poteſt. Scribunt omnes eodem modo, & ferri ſanè poſſunt: nec me fallit tamen, ſic legendum potius & interducendum: *Armis inſignibus equi virique ſplendebant: & omnia intentiore cura præparari ſollicitudo Prætorum agmina ſua interequitantium oſtendebat. ac pleraque inania, ſicut fremitus* &c. Melius iſtud qui negabit, eum verè bonum quid ſit nego ſcire.

Pag. 82. *Quippe ritu ferarum prædam modò quam expeteret intuentem, in perniciem quæ ante prædam poſita eſſet, incurrere.*

Simplex iſti loco conuenientius, *peteret*, neque compoſito Curtius hìc vſus.

Ibid. *Alexander non aliàs magis territus, ad vota &*

preces Aristandrum vocari iubet. Ille in candida veste verbenas manu praeferens, capite velato, praeibat preces regis, Iouem Mineruamque & Victoriam propitiantis.

Debet hic locus Modio non modicè, qui nec vidit vnum tamen, quo viso, næ ille miserum Glareanum vehementius incessisset, cuius nunc industriam acerbè ridet, & ridiculum nobis omnibus modis facere studet. Sed id, quod reliquum dico, quàm erat cuiuis facile tollere! nisi si dedignati forsan alij huc se demittere. Nos Curtij caussa & minora velimus, tam hercle, quàm maiora. Scribimus *regi*, & *propitianti*. Verba, preces, iuramentum alicui præire Latinum: alterum nec ipsum non Latinum, illo tamen eodem sensu vix Latinum. De cetero, *Iouem* quòd hîc addit, insolitum. Nam alibi *Mineruam* saltem iungit & *Victoriam*. lib. 8. *Victimis Mineruæ Victoriaeque cæsis imperium Sysimithri restituit*. lib. 9. *Aræ in petra locatæ sunt Mineruæ Victoriaeque*. An ergo Iuppiter ex hoc Dearum collegio excludendus, alij vidento.

P. 83. *Diu Parmenio cunctatus, cibum vt caperent ipsi pronuntiat.*

Multo melius hîc quoque vulgati, *cibum vt caperent, ipse pronuntiat.* ipse vltrò iubet, non expectato amplius Alexandro.

Ibid. *Et cum in eadem admiratione Parmenio asseueraret, quod solutum se curis somnum cepisse dixisset, Minimè, inquit, mirum est.*

Illud

Illud vero maxime mirum eſt, ex diuerſitate ſcripturæ huius in membranaceis & vulgò cuſis libris, qui habent, *quod ſecurus ſomnum cepiſſet*, non ſubueniſſe Modio, vtrumq; gloſſam eſſe. Ego fidenter eſſe pronuntio, deberique iam nunc & reſcribi iubeo ſimul *perſeueraret*, quod item melius in vulgatis: *Et cum in eadem admiratione Parmenio perſeueraret, Minime, inquit, mirum eſt.* Quæ ſit admiratio iſta, iam ante ſatis ſcimus, ne inculcandum nobis iterum inepti ſcioli putent.

Ibid. *Vos ite ad copias quibus quiſque præeſt: ego iam adero, & quid fieri velim, exponam.*

Non mutamus, ſed mutari, ſi quis velit, facile patimur. *præeſtis.*

P.83.& 84. *Raro admodum admonitu amicorum, cum metus diſcriminis erat, vti ſolebat. Tunc quoque munimento corporis ſumto, proceſſit ad milites.*

Neque rectum, neq; verum, diſcrimine imminente, raro amicorum admonitu vſum Alexandrum: ſi modo loqui nobis etiam ita licet. nam quid adeò eſt hoc ipſum, *vti admonitu amicorum*? Tum illa quid volunt ſibi, *Tunc quoq; munimento ſumto?* Nimirum egregie nos emendaſſe, parua traductione, minore vnius voculæ mutatione, imo minimâ ſyllabulæ vnius reciſione legimus ad hoc exemplum: *Tunc, quo rarò admodum admonitu amicorum, cum metus diſcriminis erat, vti ſolebat, munimento corporis ſumto, proceſſit ad milites.* Verum id ex multis patet hiſtoriæ

F 5 huius

huius locis. Vnum dabo, qui sit præ omnibus. Supra hoc ipso libro: *Iamq; ad regem præliantium clamor peruenerat, cum denuntiati periculi haud sanè memor, loricam tamen, quam rarò induebat, amicis orantibus*(an & hic hortantibus? quia illic *admonitu amicorum*: nihil tamen mutem.) *assumsit, & & ad prima signa peruenit.* De sentētia clarū nunc & liquidum: de verborum ordine si quis turbet, haud equidem negarim, leuiori traiectione sic defungi posse: *Rarò admodum, admonitu amicorum, cum metus discriminis erat, vti solebat, qua tunc munimento corporis sumto processit ad milites.* Deniq;, ne hoc omittam, vox *admodum* non superflua quidem prorsus, & tamē videri possit, ex sequenti, *admonitu*, per repetitionem earundem literarum temerè nata.

P. 84. *Haud aliàs tam alacrem viderant regem & vultu eius interrito, certam spem victoriæ augurabantur.*

Scribes inserta præpositione: *& ex vultu eius interrito c.s.v. augurabantur.*

Ibid. *Post illos Polyperchon dux peregrini militis. huius agminis Amyntas princeps erat.*

Venimus ad locum, qui Modio crudus, mihi crucius, & ipsa crux. Concoquere ille non potest *Amyntæ* nomen, quem prælio huic certū est non interfuisse. Testis illi Arrianus, sed & noster mihi, qui supra in Macedoniam eum ablegauit: *Amyntas cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem*(forte, *anquisitionem*) *nouorum militum missus.* & pòst reducit demùm lib. 5.

Ceterum

Ceterum quo minus damnum sentirent, identidem incremento nouabantur. Namq; Amyntas Andromenis ab Antipatro Macedonum peditum sex millia adduxit, quingentos praeterea eiusdem generis equites. Conuenit hoc nobis: illud minus, quid reponendum. Atque ex illo coniicere vix possis, quid statuerit: ita ambiguè sententiam perscripsit. Dubitet, Philotam, an Menidam substitui velit: etsi quidem ego de Menida sensisse penitus opinor. quod nisi est, vanum illud & exsensum totum annotamentum. Illa praecipuè verba eius turbant: *Philotamque equitum praefectum, vt & Curtius, alibi faciat.* Scimus ex Arriano, nec tamen item è Curtio, sed certè & ex Diodoro, ducem Philotam vniuersi equitatus amicorũ: sed quid huc ille? Mentis eius aut manus aberratio fuit, Philotam pro Menida scribentis. Nam hic praefectus equitum mercenariorum Arriano aiente, nec Curtio negante: quamquam hic simpliciter equitum scribit, non addit expresse mercenariorum. Ac ponit eum Arrianus in dextro sanè cornu, in quo collocetur & à Curtio, si nomen eius hic recipimus, quod voluisse planè Modius videtur. Diodorus in aciei tota dispositione verbulo eius non meminit, ad finem perstringit leuiter in enumeratione amicorum & ducũ illustrium hoc praelio vulneratorum. Sed recipiamus sane Modij suasu Menidã, ac legamus: *huius agminis Menidas princeps erat:* age dic modo, cuius ille agminis princeps? eiusne, ꝙ proximè praecessit?

ſit? ita debebat:ſed ibi iā dux apertè Polyperchon nominatus. Quid igitur? an deeſſe quædam hic putabimus, in quibus agmen ipſum, cui ille princeps, ſit expreſſum? An potius, vti Modius hinc Amyntam, ſic nos indidem ipſum quoque Menidam vnà cum agmine ſuo expellemus, vt verborum eorum alibi ſedem in ſequentibus faciamus? Ita quidem videatur: quoniam aliquot infrà loca, vbi agmina quædam memorantur, locis quæque ſuis in acie diſpoſita, non memorantur vnà eorum duces. Vbi tamen inſerantur commodè ſatis, haud perſpicio: niſi ſi poſt illa fortè verba: *Sed ne circuiri poſſet à multitudine, vltimum agmen valida manu cinxerat. Huius agminis Menidas princeps erat.* Verum neque hoc firmat hiſtoria, & vereor magis ne refellat. Diodorus quidem nullum & ipſe ducem his aſſignat: nec adeò validæ manus illius meminit, niſi quod poſt Theſſalos ſub Philippo, Cretenſes ſagittarios & ſtipendiarios ex Achaia ponit. Iam id contra hiſtoriam fortaſſe, quod in læuum cornu traduximus hoc agmen, quod relinqui melius erat in dextro, & ordine planè ſuo. Relinquamus, & iam ibi videamus, an quoquo modo verba liceat interpretari. Vult ne igitur illud auctor, inter omnes, quos recenſuit, primum & in fronte Menidam ſtetiſſe? Nam ita certè *principem* melius accipiamus, quam pro *duce*, cuius non habet ille vim genuino ſignificatu. Atque hoc de voce benè: de re ſuadere videtur

tur Arrianus, qui vniuersis ad hoc ipsum cornu præstitutos ait equites mercenarios, quibus hic Menidas præfectus. En verba libr. 3. ξυμπάντων δὲ προτεταγμένοι ἦσαν οἱ μισθοφόροι ἱππεῖς, ὧν Μενίδας ἦρχε. Sed suadet hic, non etiam persuadet. An ergo emendatiuncula tentanda è Diodoro? Hic Polyperchonti, qui ipsi Polysperchon, Stymphæos subiicit, cui noster ἀνώνυμον peregrinum militem. Vide ne in Amynta damnato hi Stymphæi latitēt, qui literis ab illo non penitus abhorrent. Quod si est, concinnare verba possis: *Post illos Polyperchon dux peregrini militis, cuius agminis Stymphæi principes erant.* Diodorus: τὴν δὲ συνεχῆ ταύτης Πολυσπέρχων, τεταγμένων, ὑπ' αὐτὸν τῶν ὀνομαζομένων Στυμφαίων. Dubium hoc quoque tamen æque: nec illud istis certius, an ex Arriano rursus immutandum in hanc faciem: *Huius agminis manus Amyntæ princeps erat.* Nam ille ecce: ἐπὶ δὲ, ἡ Πολυπέρχοντος ἡ τοῦ Σιμμίου. ἐπὶ δὲ, ἡ Ἀμύντου τοῦ Φιλίππου. ταύτης δὲ ἡγεῖτο Σιμμίας, ὅτι Ἀμύντας ἐπὶ Μακεδονίας ἐς ξυλλογὴν στρατιᾶς ἐσταλμένος ἦν. Aestuo, æstuo, ac vere,

——velut minuta magno
Deprensa nauis in mari vesaniente vento.

Nec est inter historiæ huius omnes scriptores, qui vlla ratione tranquillet aut leniat hunc æstum: quin vltro pro se quisque magis accendit, ac fluctus acriores mouet. Vbique in iis video non leues dissensus, nusquam maiores crebrioresque, quam in ista parte, vt sint ipsi pror-

psi prorsus in hac τάξει ἀτάκτοι. Pænè mihi conspiraſſe videntur, vt nemo hic idem cum alio dicat. Neque in ordine ſolum rei turbant, etiam in nominibus ipſis mirificè. Vt vnum atque alterum modò tangam, Oreſtas & Lynceſtas populos facit Diodorus, cum ait: ἑξῆς δὲ τὴν τῶν Ὀρεστῶν καὶ Λυγκιστῶν τάξιν ἔστησε, Περδίκκας τὴν στρατηγίαν ἔχοντος. Hi Curtio ſunt duces *Poſt eum Oroſtes Lynceſteſque*. De iiſdem Arrianus planè ſilet. Iam Curtius ait *Philagrum Balacros* (ita enim ex priſcis editionibus legendum Modio aſſentiamur, non vt idem edidit tamen. *Phaligrum Balacriſæos*) *rexiſſe*: Diodorus horum loco neſcio quid de Philippo quodam Balacri (qui ſanè Balacrus inter Alexandri duces apud Curtium non ſemel nominatus) filio ſuggerit: Φίλιππος δ' ὁ Βαλάκρου τὴν συνεχῆ ταύτης στρατηγίαν ἐπλήρου (emendo tranſiens, ἐκλήρου,) καὶ τῆς μετ' αὐτὴν Κράτερος ἡγεῖτο. vbi & Craterus in cornu dextro, qui apud Curtium & Arrianum in læuo. Balacros quidem & Arrianus memorat, iaculatores appellans, qui locati fuerint ante amicorum equitatum. Sed piget hæc talia vel diligentius inquirendo, vel enotando prolixius conſectari. Neque fructum id habeat, neque ſi habeat, eſt loci huius aut inſtituti noſtri. Ad Curtiũ redeamus, cui quas poſſumus maculas, & vt poſſumus, eluamus.

P. 85. *Qui cornibus præerant extendere ea iuſsi, ita vt nec circumuenirentur, ſi artius ſtarent, nec tamen vltimam aciem exinanirent.*

Mem-

Membranas ſecutus *vltimam* Modius edidit, cum in editis rectum agnoſcat tamen *mediam*. Culparem factum, niſi eo ipſo occaſionē dediſſet mihi verioris quærendæ lectionis, & fortaſſe an inuentæ. Credo enim corruptum in membranis *vltimam* fuiſſe pro *intimam*, quod plane idem eſt ac *mediam* : & hoc εὔλογον ſit iſtius fuiſſe interpretationem, atque inde in vulgatos irrepſiſſe. De media quidem vel interiore acie probant & intelligi hic omnino volunt; quæ Darius paullo poſt ad ſuos: *Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam & exhauſtam*. Idemque ante iſta : *Contemſerat paucitatem hoſtis, vanam aciem eſſe extentis cornibus ratus.*

Ibid. *Impedimenta cum captiuis, inter quos mater liberique Darij cuſtodiebantur; haud procul aciem in edito colle conſtituit, modico præſidio relicto.*

Lapſus operarum eſt & iſte forſan. Nam Modium puto *acie* voluiſſe: cui vulgati addunt *ab acie*: qua particula nihil opus. Non aciem conſtituit in colle; ſed haud procul acie impedimenta. Sic enim iungenda verba: non, vt accipias, *impedimenta cuſtodiebantur*.

Pag. 86. *Neque enim ad belli diſcrimen pertinere, qui ab his Scythæ quiue Caduſii appellentur.*

Sic vbique: ſed vera lectio, *qui ex his*. Quod ſequitur, *Scytharum* vocabulum, mihi ſuſpectum. Neque enim hi Alexandro vel militibus eſſe potuerunt adeo de nomine etiam igno-

ti. Quin

ri. Quin aliud potius nomen latet alterius ignobilioris generis.

Ibid. *Nec postulare se, vt fortiter capesserent prælium, ni ipse ceteris fortitudinis fuisset exemplū: se ante prima signa dimicaturum: pro se quot cicatrices, totidem corporis decora.*

Darius similiter ad suos de se ante hanc ipsam pugnam: *Nec recuso, quo minus imitemini me, siue fortitudinis exemplum siue ignauiæ ero.* Sed quid quærit hic sibi illud *pro se*. Distinguendumne aliter dicemus? *se ante prima signa dimicaturum pro se: quot cicatrices* &c. an delendum, vt quod in eadem causa sit cum deleto iam *spondere?* Videantur enim & hoc addidisse, qui alterum: vt Alexandrum fecerint pro se spondentem. Neutrum mihi probetur. quin & voculâ & distinctiunculâ relictâ mutandū aio *prorsus. Prorsus, quot cicatrices, totidem corporis decora.* Particulæ eius elegantem hunc vsum elegantes homines sciunt, & nos alibi fortasse magis illustrabimus.

Pag. 88. *Nam vltimi quos locauit auersos, terga iam præbent.*

Oratorium videatur hoc, & imprudenti Curtio excidisse, dum ingenio indulget in oratione fingenda. Sane suspectum ea dubitatio facit, qui Darius scire potuerit de ordinibus auersis. Bonis enim oculis & vix humanis necesse est fuisse, qui totam aciem visu permetiretur, & ad vltimos ordines ita penetraret, vt discrimina etiam agminum & positus eorum

peruideret. Nisi si à transfugis accepisse credemus, quod solum excusando Curtio dici possit. Ac in eadem plane causa superius etiam illud est: *Et profecto si qua diuina opis auguria humana mente concipi possent, deos stare secum: illos nuper Macedonum animis subitam incussisse formidinem: adhuc lymphatos ferri agique arma iacientes.* Dubites enim & ibi, vnde idem tam citò de formidine hostium cognouerit. Sed esto apud transfugas & exploratores Curtio perfugium. Ita tamen omnia debebant temperari, vt nihil nisi verisimile dicatur, nihil admittatur: quod vel minimam excitare suspicionem queat dubiæ veritatis.

P.89. *Matrem meam, duas filias, Ochum in spem huius imperij genitum, illos principes, illam sobolem regiæ stirpis, duces vestros regum instar, vinctos habet: nisi quid in vobis, ipse ego maiore mei parte captiuus sum.*

Concinnius videri possit, alio verborum positu: *Ochum in spem huius imperij genitum, illam sobolem regiæ stirpis, illos principes, duces vestros regum instar* &c.

Ibid. *Eripite viscera mea vinculis, restituite mihi pignora, pro quibus ipsi mori non recusatis.*

Valde metuo, ne legendum cum vulgatis: *pro quibus ipse mori non recuso*: quod & Modius subuerebatur.

Pag. 91. *Inter hæc Menidas præfectus equitum Alexandri cum paucis turmis opem impedimentis laturus aduenerat, & incertum suone con-*

fronte & à tergo hostem habebat. Qui auerso ei instabant, ab Agrianis equitibus premebantur. Bactriani impedimentis direptis &c.

Pag.93. *Lugubri ergo vlulatu & incondito clamore gemituq; totam fere aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbauere cognati Darij & armigeri; læuoq; cornu in fugam effuso destituerant currum, quem à dextera parte stipati in medium agmen receperunt.*

Indiligenter alij fuerant hic: sed quod illi viderant minus, vnus Modius è membranis correxit. Vidit & correxit, necdum ille tamen omnia, quædam nec satis recte. Dabo prius vulgatam lectionem, mox deinde censuram nostram. *Cognati Darij & armigeri, læuumque tuentes cornu in fugam effusum destituerant currum.* vocem *tuentes* eiecit Modius: mallem, *cornu*. Nihil enim huc cornu aciei, quod nec erat vllum iam amplius, illâ tam variè turbatâ: certe non nunc ipsum in fugam effundebatur. Ego aliud video, sic scilicet emendandum, vt ascribam: *Lugubri ergò vlulatu & inc. cl g. t. f a a æ. M. p. turbauerant cognati Darij: & armigeri læuam tuentes in fugam effusi destituerant currum, quem à dextra parte stipati in medium agmen receperunt.* Armigeri ad læuum Darij latus positi, occisum eum nunc rati, in fugam se dabant curru destituto: quem alij ad dexteram stabiles & firmi in agmen suum recipiunt vndique circumfusi. Verus iste sensus, qui nec aliter à Curtio expressus. *Læuam* simpliciter intelliges, vel subintelliges

partem, vti mox *à dextera parte*: quamquam sane & hic vocula illa ipsa abesse potest, & vtrobiq; læua & dextera absolute capi.

Pag. 95. *Darius paucis fugæ comitibus ad Lycum amnem contenderat, quo traiecto dubitauit an solueret pontem. quippe hostem iam affore nuntiabatur.*

De *Lyco* amne vere noster, vt sibi constet. Hunc enim ponte iunctum & traiectum à Dario supra memorauit. At Iustino quî in mentem venit de *Cydno* affirmare? libr. XI. *suadentibus deinde quibusdam vt pons Cydni fluminis ad iter hostium impediendum intercluderetur: non ita se saluti suæ velle consultum ait, vt tot millia sociorum hosti obiiciat: debere & aliis viam patere, quæ patuerit sibi.* Mirum ni emendandus hic è nostro. Nam quid huc Cydnus, qui Ciliciæ fluuius? In Lycum Arrianus etiam consentit, etsi non Darium quidem eo diserte profugisse narrat, sed Alexandrum, cum hunc insequeretur, transisse. Diodorus neutrius meminit, nec adeo fugæ vllius ad vel vltra pontem. In Iustino verbum quoque vix sincerum, *intercluderetur*: quod duriuscule de ponte, rectius de amne aut itinere ipso dicas. An mutandum, *intercideretur*? vt Curtius hic mox deinde: *sed tot millia suorum, quæ nondum ad amnem peruenerant, ponte reciso prædam hostis fore videbat.* Ad quod ipsum exemplum vide ne & porro in Iustino scribendum, *vt tot millia suorum hosti obiiciat.*

Ibid.

Ibid. *Alij qua breuissimum patebat iter, alij diuisi saltus & ignotos sequentibus calles petebant.*

Scribendum plane cum vulgatis, *diuersos saltus.*

Pag. 96. *Nec vlla adeò auida & sicca lacuna erat, vt vestigantium sitim falleret.*

Ineptè *auida.* Vulgò melius *auia*: cui tamen quomodo *sicca* hæret? Rectius *dissita* iungere-tur. Et vtrumque illa probant superiora: *Quidam, occupatis proximis riuulis, diuerterant longius, vt quidquid occulti humoris vsquam manaret, exciperent.* At *sicca* si retines, *arida* pulcrè attemperaueris ex *auida.* Quæ epitheta solennia poëtis. Martial.

Siccæ quod redolet palus lacunæ.

Propert. *Dicebar sicco vilior esse lacu.*

Sed vulgata lectio tota fortasse recta, *auia & sicca.* vt vtrumque dicat, & sitas longius, & ἀνύδρους fuisse.

Ibid. *Iamque non pons modò fugientes sed ne amnis quidem capiebat agmina sua improuide subinde cumulantes,*

Facilius omninò ex vulgatis rescribi *improuidâ fugâ* poterat, quàm *fugæ* ipsum penitus deleri. nisi forte, quia *fugientes* iam antecesserat, hoc repeti noluerunt.

Ibid. *Alexander instantibus suis abeuntem hostem permitteret sequi: hebetia esse tela & manus fatigatas, tantoque cursu corpora exhausta, & præceps in noctem diei tempus caussatus est.*

Non tam cæcus ego , vt præſtare vulgatis hæc non videam.prę́ſtant,ſed quantillum?Tu reducta voce *impune* ſic mecum potius & initium & reliqua deinceps, totamque periodum reſcribe & interpunge: *Alexander, inſtantibus ſuis, impune abeuntem hoſtem permitteret ſequi; hebetia tela, & manus fatigatas, tantoque curſu corpora exhauſta, & præceps in noctem diei tempus cauſſatus; reuera, de læuo cornu, quod adhuc in acie ſtare credebat, ſollicitus; reuerti ad ferendam opem ſuis ſtatuit.*

VALENTIS ACIDALII IN Q. CVRTII LIBRVM V. ANIMADVERSIONES.

AD CHRISTOPHORVM HVLSIVM virum amplis. nobiliss. Sac. Cæs. Maiest. Consiliarium & Quæstorem.

CVm diebus his aliquot in Curtio fuissem, vir amplissime, iamque cõmentationibus in eum nostris penè absolutis cogitare incipere de earum & publicatione & dedicatione, amplexus eam sum rationem, quam cum animus ipse mihi subiecisset meus, amicorum etiam sententia videbam cõprobari. Est hæc illa, quæ solennis hodie plerisque omnibus in isto genere scriptionis in vulgus nouitia videtur & huius inuentum æui, apud doctos antiquam esse constat & veteribus etiam frequentatam. Singulis libelli singuli inscribuntur: cuius aliis alia nec vna fortasse caussa, mihi præter vnã hanc nulla, vt vel amantibus mei vel benè iam meritis de me viris amoris in eos contrà mei gratique significationem aliquam animi publico dein eiusmodi monumento: quando & hæc fortuna adhuc mea ratio, nihil vt possim aliud, nisi

ſit? ita debebat:ſed ibi iá dux apertè Polyperchon nominatus. Quid igitur? an deeſſe quædam hic putabimus, in quibus agmen ipſum, cui ille princeps, ſit expreſſum? An potius, vti Modius hinc Amyntam, ſic nos indidem ipſum quoque Menidam vnà cum agmine ſuo expellemus, vt verborum eorum alibi ſedem in ſequentibus faciamus? Ita quidem videatur: quoniam aliquot infrà loca, vbi agmina quædam memorantur, locis quæque ſuis in acie diſpoſita, non memorantur vnà eorum duces. Vbi tamen inſerantur commodè ſatis, haud perſpicio: niſi ſi poſt illa fortè verba: *Sed ne circuiri poſſet à multitudine, vltimum agmen valida manu cinxerat. Huius agminis Menidas princeps erat.* Verum neque hoc firmat hiſtoria, & vereor magis ne refellat. Diodorus quidem nullum & ipſe ducem his aſſignat: nec adeò validæ manus illius meminit, niſi quod poſt Theſſalos ſub Philippo, Cretenſes ſagittarios & ſtipendiarios ex Achaia ponit. Iam id contra hiſtoriam fortaſſe, quod in læuum cornu traduximus hoc agmen, quod relinqui melius erat in dextro, & ordine planè ſuo. Relinquamus, & iam ibi videamus, an quoquo modo verba liceat interpretari. Vult ne igitur illud auctor, inter omnes, quos recenſuit, primum & in fronte Menidam ſtetiſſe? Nam ita certè *principem* melius accipiamus, quam pro *duce*, cuius non habet ille vim genuino ſignificatu. Atque hoc de voce benè: de re ſuadere videtur

tur Arrianus, qui vniuersis ad hoc ipsum cornu præstitutos ait equites mercenarios, quibus hic Menidas præfectus. En verba libr. 3. ξυμπάντον δὲ παρατεταγμένοι ἦσαν οἱ μισθοφόροι ἱππεῖς, ὧν Μενίδας ἦρχε. Sed suadet hic, non etiam persuadet. An ergo emendatiuncula tentanda è Diodoro? Hic Polyperchonti, qui ipsi Polysperchon, Stymphæos subiicit, cui noster ἀνώνυμον peregrinum militem. Vide ne in Amynta damnato hi Stymphæi latitēt, qui literis ab illo non penitus abhorrent. Quod si est, concinnare verba possis: *Post illos Polyperchon dux peregrini militis, cuius agminis Stymphæi principes erant.* Diodorus: τὴν δὲ συνεχῆ ταύτης Πολυσπέρχων, τεταγμενων, ὑπ' αὐτὸν τῶν ὀνομαζομένων στυμφαίων. Dubium hoc quoque tamen æque: nec illud istis certius, an ex Arriano rursus immutandum in hanc faciem: *Huius agminis manus Amyntæ princeps erat.* Nam ille ecce: ἐπὶ δὲ, ἡ Πολυπέρχοντος τοῦ Σιμμίου. ἐπὶ δὲ, ἡ Ἀμύντου τοῦ Φιλίππου. ταύτης δὲ ἡγεῖτο Σιμμίας, ὅτι Ἀμύντας ἐπὶ Μακεδονίας ἐς ξυλλογὴν στρατιᾶς ἐσταλμένος ἦν. Aestuo, æstuo, ac vere,

——velut minuta magno
Deprensa nauis in mari vesaniente vento.

Nec est inter historiæ huius omnes scriptores, qui vlla ratione tranquillet aut leniat hunc æstum: quin vltro pro se quisque magis accendit, ac fluctus acriores mouet. Vbique in iis video non leues dissensus, nusquam maiores crebrioresque, quam in ista parte, vt sint ipsi pror-

psi prorsus in hac τάξει ἄτακτοι. Pænè mihi conspirasse videntur, vt nemo hic idem cum alio dicat. Neque in ordine solum rei turbant, etiam in nominibus ipsis mirificè. Vt vnum atque alterum modò tangam, Orestas & Lyncestas populos facit Diodorus, cum ait: ἑξῆς δὲ τὴν τῶν Ὀρεστῶν καὶ Λυγκιστῶν τάξιν ἔστησε, Περδίκκας τὴν στρατηγίαν ἔχοντος. Hi Curtio sunt duces *Post eum Orostes Lyncestesque.* De iisdem Arrianus planè silet. Iam Curtius ait *Philagrum Balacros* (ita enim ex priscis editionibus legendum Modio assentiamur, non vt idem edidit tamen. *Phaligrum Balacrisæos*) *rexisse*: Diodorus horum loco nescio quid de Philippo quodam Balacri (qui sanè Balacrus inter Alexandri duces apud Curtium non semel nominatus) filio suggerit: Φίλιππος δ' ὁ Βαλάκρου τὴν συνεχῆ ταύτης στρατηγίαν ἐπλήρου (emendo transiens, ἐκλήρου,) καὶ τῆς μετ' αὐτὴν Κράτερος ἡγεῖτο. vbi & Craterus in cornu dextro, qui apud Curtium & Arrianum in læuo. Balacros quidem & Arrianus memorat, iaculatores appellans, qui locati fuerint ante amicorum equitatum. Sed piget hæc talia vel diligentius inquirendo, vel enotando prolixius consectari. Neque fructum id habeat, neque si habeat, est loci huius aut instituti nostri. Ad Curtiũ redeamus, cui quas possumus maculas, & vt possumus, eluamus.

P. 85. *Qui cornibus prærant extendere eaiussi, ita vt nec circumuenirentur, si artius starent, nec tamen vltimam aciem exinanirent.*

Membranas secutus *vltimam* Modius edidit,cum in editis rectum agnoscat tamen *mediam.* Culparem factum,nisi eo ipso occasionẽ dedisset mihi verioris quærendæ lectionis, & fortassean inuentæ. Credo enim corruptum in membranis *vltimam* fuisse pro *intimam*,quod plane idem est ac *mediam* : & hoc εὔλογον sit istius fuisse interpretationem , atque inde in vulgatos irrepsisse. De media quidem vel interiore acie probant & intelligi hic omnino volunt, quæ Darius paullo post ad suos: *Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam & exhaustam.* Idemque ante ista: *Contemserat paucitatem hostis, vanam aciem esse extentis cornibus ratus.*

Ibid. *Impedimenta cum captiuis , inter quos mater liberique Darij custodiebantur ; haud procul aciem in edito colle constituit , modico præsidio relicto.*

Lapsus operarum est & iste forsan. Nam Modium puto *acie* voluisse:cui vulgati addunt *ab acie*: qua particula nihil opus. Non aciem constituit in colle,sed haud procul acie impedimenta.Sic enim iungenda verba:non,vt accipias,*impedimenta custodiebantur.*

Pag. 86. *Neque enim ad belli discrimen pertinere, qui ab his Scythæ quiue Cadusii appellentur.*

Sic vbique: sed vera lectio,*qui ex his.* Quod sequitur, *Scytharum* vocabulum , mihi suspectum.Neque enim hi Alexandro vel militibus esse potuerunt adeo de nomine etiam ignoti.Quin

ri. Quin aliud potius nomen latet alterius ignobilioris generis.

Ibid. *Nec postulare se, vt fortiter capesserent prælium, ni ipse ceteris fortitudinis fuisset exemplũ: se ante prima signa dimicaturum: pro se quot cicatrices, totidem corporis decora.*

Darius similiter ad suos de se ante hanc ipsam pugnam: *Nec recuso, quo minus imitemini me, siue fortitudinis exemplum siue ignauiæ ero.* Sed quid quærit hic sibi illud *pro se.* Distinguendumne aliter dicemus? *se ante prima signa dimicaturum pro se: quot cicatrices* &c. an delendum, vt quod in eadem causa sit cum deleto iam *spondere?* Videantur enim & hoc addidisse, qui alterum: vt Alexandrum fecerint pro se spondentem. Neutrum mihi probetur. quin & voculâ & distinctiunculâ relictâ mutandũ aio *prorsus. Prorsus, quot cicatrices, totidem corporis decora.* Particulæ eius elegantem hunc vsum elegantes homines sciunt, & nos alibi fortasse magis illustrabimus.

Pag. 88. *Nam vltimi quos locauit auersos, terga iam prabent.*

Oratorium videatur hoc, & imprudenti Curtio excidisse, dum ingenio indulget in oratione fingenda. Sane suspectum ea dubitatio facit, qui Darius scire potuerit de ordinibus auersis. Bonis enim oculis & vix humanis necesse est fuisse, qui totam aciem visu permetiretur, & ad vltimos ordines ita penetraret, vt discrimina etiam agminum & positus eorum

pervi-

peruideret. Nisi si à transfugis accepisse credemus, quod solum excusando Curtio dici possit. Ac in eadem plane causa superius etiam illud est: *Et profecto si qua diuinæ opis auguria humana mente concipi possint, deos stare secum: illos nuper Macedonum animis subitam incussisse formidinem: adhuc lymphatos ferri agique arma iacientes.* Dubites enim & ibi, vnde idem tam citò de formidine hostium cognouerit. Sed esto apud transfugas & exploratores Curtio perfugium. Ita tamen omnia debebant temperari, vt nihil nisi verisimile dicatur, nihil admittatur: quod vel minimam excitare suspicionem queat dubiæ veritatis.

P.89. *Matrem meam, duas filias, Ochum in spem huius imperij genitum, illos principes, illam sobolem regiæ stirpis, duces vestros regum instar, vinctos habet: nisi quid in vobis, ipse ego maiore mei parte captiuus sum.*

Concinnius videri possit, alio verborum situ: *Ochum in spem huius imperij genitum, illam sobolem regiæ stirpis, illos principes, duces vestros regum instar* &c.

Ibid. *Eripite viscera mea vinculis, restituite mihi pignora, pro quibus ipsi mori non recusatis.*

Valde metuo, ne legendum cum vulgatis: *pro quibus ipse mori non recuso:* quod & Modius subuerebatur.

Pag. 91. *Inter hæc Menidas præfectus equitum Alexandri cum paucis turmis opem impedimentis laturus aduenerat, & incertum suone con-*

 silio

fronte & à tergo hoſtem habebat. Qui auerſo ei inſtabant, ab Agrianis equitibus premebantur. Bactriani impedimentis direptis &c.

Pag.93. *Lugubri ergo vlulatu & incondito clamore gemituq; totam fere aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbauere cognati Darij & armigeri; læuoq; cornu in fugam effuſo deſtituerant currum, quem à dextera parte ſtipati in medium agmen receperunt.*

Indiligenter alij fuerant hic: ſed quod illi viderant minus, vnus Modius è membranis correxit. Vidit & correxit, necdum ille tamen omnia, quædam nec ſatis recte. Dabo prius vulgatam lectionem, mox deinde cenſuram noſtram. *Cognati Darij & armigeri, læuumque tuentes cornu in fugam effuſum deſtituerant currum.* vocem *tuentes* eiecit Modius: mallem, *cornu*. Nihil enim huc cornu aciei, quod nec erat vllum iam amplius, illâ tam variè turbatâ: certe non nunc ipſum in fugam effundebatur. Ego aliud video, ſic ſcilicet emendandum, vt aſcribam: *Lugubri ergò vlulatu & inc. cl g. t. f a a æ. M. p. turbauerant cognati Darij: & armigeri læuam tuentes in fugam effuſi deſtituerant currum, quem à dextra parte ſtipati in medium agmen receperunt.* Armigeri ad læuum Darij latus poſiti, occiſum eum nunc rati, in fugam ſe dabant curru deſtituto: quem alij ad dexteram ſtabiles & firmi in agmen ſuum recipiunt vndique circumfuſi. Verus iſte ſenſus, qui nec aliter à Curtio expreſſus. *Læuam* ſimpliciter intelliges, vel ſubintelliges

partem, vti mox *à dextera parte*: quamquam sane & hic vocula illa ipsa abesse potest, & vtrobiq; læua & dextera absolute capi.

Pag. 95. *Darius paucis fugæ comitibus ad Lycum amnem contenderat, quo traiecto dubitauit an solueret pontem. quippe hostem iam affore nuntiabatur.*

De *Lyco* amne vere noster, vt sibi constet. Hunc enim ponte iunctum & traiectum à Dario supra memorauit. At Iustino qui in mentem venit de *Cydno* affirmare? libr. XI. *suadentibus deinde quibusdam vt pons Cydni fluminis ad iter hostium impediendum intercluderetur: non ita se saluti suæ velle consultum ait, vt tot millia sociorum hosti obiiciat: debere & aliis viam patere, quæ patuerit sibi.* Mirum ni emendandus hic è nostro. Nam quid huc Cydnus, qui Ciliciæ fluuius? In Lycum Arrianus etiam consentit, etsi non Darium quidem eo disertè profugisse narrat, sed Alexandrum, cum hunc insequeretur, transisse. Diodorus neutrius meminit, nec adeo fugæ vllius ad vel vltra pontem. In Iustino verbum quoque vix sincerum, *intercluderetur*: quod duriuscule de ponte, rectius de amne aut itinere ipso dicas. An mutandum, *interscinderetur*? vt Curtius hic mox deinde: *sed tot millia suorum, quæ nondum ad amnem peruenerant, ponte reciso prædam hostis fore videbat.* Ad quod ipsum exemplum vide ne & porro in Iustino scribendum, *vt tot millia suorum hosti obiiciat.*

Ibid.

Ibid. *Alij qua breuissimum patebat iter, alij diuisi saltus & ignotos sequentibus calles petebant.*

Scribendum plane cum vulgatis, *diuersos saltus.*

Pag. 96. *Nec vlla adeò auida & sicca lacuna erat, vt vestigantium sitim falleret.*

Ineptè *auida.* Vulgò melius *auia*: cui tamen quomodo *sicca* hæret? Rectius *dissita* iungeretur. Et vtrumque illa probant superiora: *Quidam, occupatis proximis riuulis, diuerterant longius, vt quidquid occulti humoris vsquam manaret, exciperent.* At *sicca* si retines, *arida* pulcrè attemperaueris ex *auida.* Quæ epitheta solennia poëtis. Martial.

Siccæ quod redolet palus lacunæ.

Propert. *Dicebar sicco vilior esse lacu.*

Sed vulgata lectio tota fortasse recta, *auia & sicca.* vt vtrumque dicat, & sitas longius, & ἀνύδρους fuisse.

Ibid. *Iamque non pons modò fugientes sed ne amnis quidem capiebat agmina sua improuide subinde cumulantes,*

Facilius omninò ex vulgatis rescribi *improuidâ fugâ* poterat, quàm *fugæ* ipsum penitus deleri. nisi forte, quia *fugientes* iam antecesserat, hoc repeti noluerunt.

Ibid. *Alexander instantibus suis abeuntem hostem permitteret sequi: hebetia esse tela & manus fatigatas, tantoque cursu corpora exhausta, & præceps in noctem diei tempus caussatus est.*

 Non

VALENTIS ACIDALII IN Q. CVRTII LIBRVM V. ANIMADVERSIONES.

AD CHRISTOPHORVM HVLSIVM virum ampliß. nobiliß. Sac. Cæs. Maiest. Consiliarium & Quæstorem.

Cum diebus his aliquot in Curtio fuissem, vir amplißime, iamque cõmentationibus in eum nostris penè absolutis cogitare inciperẽ de earum & publicatione & dedicatione, amplexus eam sum rationem, quam cum animus ipse mihi subiecisset meus, amicorum etiam sententia videbam cõprobari. Est hæc illa, quæ solennis hodie plerisque omnibus in isto genere scriptionis in vulgus nouitia videtur & huius inuentum æui, apud doctos antiquam esse constat & veteribus etiam frequentatam. Singulis libelli singuli inscribuntur: cuius alijs alia nec vna fortasse caussa, mihi præter vnã hanc nulla, vt vel amantibus mei vel benè iam meritis de me viris amoris in eos contrà mei gratique significationem aliquam animi publico dein eiusmodi monumento: quando & hæc fortunæ adhuc meæ ratio, nihil vt poßim aliud, nisi

ud, nisi literarium; & studiorum ille dum prouentus, vt literarium hoc etiam tempore nihil, nisi id genus offerre vel referre. Atq; in ista cogitatione cùm placeret huius me ditionis ac vrbis, cuius aduena sum nouus & inquilinus, veluti cancellis nunc circumscribere: multi sanè occurrebant & multò plures, quibus officiũ hoc deberem; quam quibus exhibere Curtianarum Animaduersionum occasione possem. Librorum enim numerus ad paucos me restringit, quem ad plurimos & prolubium meum diffundit, & ipsorum quà humanitas inuitat, quà benignitas impellit. Itaq; difficultas orta mihi magna in electione, cui cum secernere arduum esset, quos non liceret; tam metuendum erat, ne offenderem, quos necesse esset præterire. Et diu sanè anxius hic hærebam, adeò vt fluctuare iam inciperem de toto consilio diuersarum inscriptionum, nec aberam procul vt damnarem, cùm amici trepidantem confirmarunt vicissim & labantem erexerunt, ita mihi seriò magnaque asseueratione, multa etiam suadæ suæ vi dicẽtes, nullam esse caussam hanc, vt ab incepto desisterem, neque fore in præiudicium alijs, si alios prætulissem, neque posse queri se neglectos, quos coactus essem posthabere. Quod vt persuaderent, multa afferebant

nec

nec infirma quædam argumenta, quibus & denique persuaserunt, eò quidem illi facilius, quod ipse cogitabam etiam mecum, si qui ægriusculè laturi essent, posse me ijs deinceps ita satisfacere, vt solutionis huius moram vel in lucrum sint deputaturi sibi. Atque ita futurum est omnino. nam & habeo pridem, ac plus indies acquiram, vnde possim, & vt voluntatem non mutem, vel mea constantia faciet in amicis colendis, vel ipsorum certa in me beneuolentia, quam, vt spero, non modo perseuerabunt, sed & augebunt quotidiana non amoris tantùm, sed officiorum etiam & beneficiorum accessione. Hoc cùm ipse de illis mihi spondeo, tùm ipsis alterum, quod posui, de me respondeo. Te autem, Hulsi amplissime, præ ceteris hoc ipso tempore nec volui nec debui præterire: quem vt censerem inter primos mihi demerendum, plurimæ caussæ effecerunt, non omnes isto loco exponendæ: quia & ipsi tibi audire pro modestia tua molestum sit, & alij dari auribus tuis suspicentur. Vtrumque hoc vitabo: nec illarum præcipuas reticebo tamen, quarum fuit princeps humanitas tua singularis cùm pari beneuolentia coniuncta: qua nunquam visum & absentem etiam in Italia cum Achate meo, tuo affini

& plura, quæ deinceps mihi polliceor (nec enim cessabis aut desines porrò de me tu mereri:) digniore olim præconio simul omnia meditor illustrare. Denique vel illud caussæ mihi satis, quod amari à te Curtium vehementer, & cum studium in eo meum audires, lætatum adeo te vidi, vt me collaudares & hortareris ad inceptum perficiendum. Debuistine, quem tantoperè scriptorem amas, & cuius emendationem sic probas, eius ita immunis esse, vt vel ex ipso, vel opella nostra nihil ad te propriè dirigeretur, saltem vt videres diligentius, quid in eo præstitissemus? Imo habe tibi aliquam eius istam partem, quam volo tuam planè esse, censuræ tuæ præcipuè subiectam, nec minus à te tamen aliorum, quiqui poterunt pariter tecum iudicare. Et hi tecum idem iudicabunt, puto: si minus; ego iudicio vnius tuo stabo, cui merito tribuo plurimum: & scio, reliquos facile refutabis, ac me defendes, si videbor alicubi aberrasse. Id cum possis, velle te siue mea, siue Curtij caussa quî dubitem? Otium modò tibi sit à grauissimis amplissimi tui muneris negotijs: à quibus cum respirare dabitur, ad hæc leuiora diuertes vel reficiendi tui, quamquam omnino voles etiam nostri dijudicandi.

di. Fa

di. Facies hoc, vt tibi commodum erit, meque cum Bucretio nostro, quo recepisti loco semel, habebis in perpetuum, certus, ita vicissim coli te à nobis, vt de nobis præter alios vnicè mereris.

VAL.

VAL. ACIDALII
AD Q. CVRTII LIBRVM V.
ANIMADVERSIONES.

SVnt qui ſcriptionis hoc genus oſtentui magis habent quàm vſui. In his nunquam erit vt culpa noſtra numerari poſſimus ipſi: qui vere iò ac ſeriò præter vſum nihil ſpectamus. atq; vtinã operâ iſtâ minus opus eſſet! abſtineremus facilè, & alibi induſtriam noſtrã occuparemus. quam quando & hæc ſtudia ſibi depoſcunt, & videmur ijs non inutiliter impendere, porrò pergemus, ac nitemur, vt cum fructu, quò nos cunq; dederimus, fuiſſe; ſin minus, vt laboraſſe de eo ſeriò, nec aliud quęſiuiſſe nos appareat. Quod, vti ſperamus, & è Curtio elucebit, in quo nũc ſumus, humili ac tenui poſt alios labore, ſed nec ſupuacuo nec inani.

P. 99. *Vltima regni adhuc intacta eſſe: inde bello vires haud ægrè reparaturum.*

Eleganter, & quis mutare ſuſtinuerit? Eſt tamen, vnde conijcere ſic quoque liceat: *inde belli vires haud ægrè repetiturum.* Nõ minus id elegãter, niſi petendi verbum iam iam præceſſiſſet. Ita quidẽ frequẽter auctor, vt hoc infra libro: *Itaque non illum modo ſed etiam Alexandrum ſpernebant inde vires imperij repetituri, ſi regionis potiri cõtigiſſet.* Monere, tanti fuit: vt & mutem, non omnem mihi Perſarum meream Gazam.

P. 100.

P.100. *Euntibus aperit se læuâ Arabia, odorũ fertilitate nobilis regio. Campestre iter est inter Tigrim & Euphratem tam vber & pinguis soli, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat.*

Modius, quem sine ambitiosis laudibus nomine semper appello, sine honore merito nũquam nominatum volo; Modius hæc restituit in hunc modum: benè, si quid aliud. In vulgatis fœdæ maculæ: quibus elotis, si cui tamen *vber iter* minus ridet, ei legere per nos liceat: *Campestre iter est inter Tigrim & Euphratem, & vber tam pinguis soli, vt à pastu.* Traductio leuis sit, atque *vber soli*, quod poëtæ *Vber agri.*

Ibid. *Vicina maximè sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam appellant.*

Quod in vulgatis est, hîc verum est, *vicini*: cui à Modio illud immeritò prælatum, etsi in mẽbranis, & cum appicta quantiuis pretij glossa. *Loca* scilicet intelligenda: pulcrè. quis intelligi debere non videt *amnes?* Etiam paullò post scribendum: *Iidem per Babyloniorum fines in rubrũ mare irrumpunt:* non *eadem.* nam hîc quis glossæ locus? loca videlicet irrumpent in mare. Quin & supra sic: *Iidem cum Mediæ & Codiacorum terras secare cœperunt, paullatim in arctius coeunt.* Pendent omnia ab istis: *Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt.* Eodẽ igitur genere oratio continuanda.

P.102. *Ac ne totã quidẽ vrbẽ tectis occupauerũt. per LXXX stadia habitabatur; nec omnia cõtinua sũt.* Vulgò & hîc melius, *habitabatur.*

P. 104. *Prætores qui regioni Babyloniæ & ciuitati* præ-

præessent, Menetam & Apollodorum reliquit.

Quasi *Meneta* nomen fuerit, quod fuit *Menes*. Scribe igitur *Meneta*, vel *Menetem* latino flexu. Non aduertit hoc Modius ex illo ipso Diodori loco, quem adducit ad hunc locū: Ἀπολλόδωρον δὲ τὸν ἀμφιπολίτην καὶ Μένητα τὸν πελλαῖον ἀπέδειξε στρατηγοὺς τῆς τε Βαβυλῶνος καὶ τῶν Σατραπειῶν μέχρι Κιλικίας.

P. 105. *Ac ne desides otio demitterent animos, iudices dedit, præmiaque proposuit de virtute militari certantibus.*

Siue potius *remitterent*.

Ibid. *Octo qui fortissimi iudicati essent, singulis militum millibus præfuturi erant. Chiliarchas vocabant, tum primum in hunc numerum copijs distributis. namque antea quinquagenariæ cohortes fuerant, nec fortitudinis præmia gesserant.*

Postremum verbum iure mihi suspectum. Quid enim? an cohortibus ipsis præmia dabantur? & si dabantur fortè, quænam? non hoc certè, de quibus hic sermo. Non ipsæ Chiliarchæ constituebantur (quo quid cogites absurdius?) sed ipsis. Ita præmia non illis, sed illæ præmia dabantur suis præfectis. Ipsæ inquam præmia erant: & qui eis præficiebantur, viri fortes ac strenui, in virtutis suæ mercedem accipiebant hanc præfecturam. Hanc sententiam vna minima literula impedit, quæ sæpe similes alibi turbas dedit. Scribe *cesserant*, & rem factam habes. *g* in *c* mutato: quarum literarum alterna vicissitudine nihil in omnibus libris frequentius.

tius. Iam rectè, & id perfacile capies, cohortes præfectis suis, tanquam præmia fortitudinis cessisse. Teneo hoc, & verum scio: tamen aliquis coniectare etiam possit, *præfecti* vocẽ desiderari, vt in eundem sensum ita rescribatur: *nec præfecti fortitudinis præmia gesserant.* Quod ego non admitto: prius, vt dixi, teneo, multis caussis, quæ intelligenti lectori per se obuiæ.

Ibid. *Nam cum antè equites in suam quisque gentẽ describerẽtur, seorsum à cæteris exemto nationũ discrimine, præfectos non vtique suarum gentium sed delectos attribuit.*

Pugnã in sentẽtia distinctiũcula facit, quã aliò remoue, vt illã tollas: *Nã cũ ante equites in suã quisq; gentem describerentur seorsum à ceteris; exemto nationum discrimine, præfectos* &c. Etiam hoc, vt video, in vulgatis libris diligentius obseruatũ.

P. 109. *Simul iam inter hæc eminus petebatur, cum testudine obiecta milites, quem vt inde cederet propellere nequiuerant, tuebantur.*

Quæ præcedunt hæc, benè à Modio restituta: hæc ipsa non sanè optimè. Eiecit vocem *admonens*, nõ necessariam, vt ait, ac totam periodum turbantẽ. Bona verba verò: & clementer, ne qua iniuria miseræ fiat. Eam scioli cõmentũ esse, mihi non fit verisimile. Glossam potius ista arbitrer, *inter hæc*. Nam *simul admonens iam*, valet, intereà dum admonet etiã, dum milites adhuc instigat. Is particulæ *iam* vsus apud Curtium etiam lib. 9. *Ille vt, antequam vltimus spiritus deficeret, dimicans iam extingueretur, clypeo se alleuare ce-*

re conatus est: pro, dum etiam dimicaret, inter ipsum dimicandum. Apuleius ferè cõsimiliter, lib. 6. *Et simul dicens libellum ei porrigit.* Porrò hîc autem melius *perpellere* deinceps sit, etsi nec alterum omninò malum. Sed nõ quod ferri quoquo modo, verùm quod probari maximè potest, nobis amplectendum.

Ibid. *Ad vltimum victa, literis Alexandrum ita deprecata est, vt id ipsum excusaret, quòd deprecaretur, petere se vt illis quoq; si minus, sibi ignosceret, pro necessario ac propinquo suo iam nõ hoste, sed supplice tantum vitam precari.*

Interpunctionem hanc si retines, ad finem legas potius *precanti.* Ne hoc mutes, potes illam: *petere se, vt illis quoq; si minus, sibi ignosceret: pro necess. ac p. s. i. n. h. s. s. t. v. precari.*

Pag. 112. *Igitur promissis quãta & præsens necessitas exigebat, & ipsius fortuna capiebat, honoratum, armari iubet.*

Non conuenit prorsus *honoratum: oneratum* edendum fuit. quod cum displicere neque Modio potuerit, non debuit etiam ipso neglectus præiudicio damnari.

Pag. 112. & 113. *Cratero igitur ad custodiam castrorum relicto cum peditibus, quibus assueuerat, & ijs copijs, quas Meleager ducebat, & sagittarijs equitibus mille.*

Inseritur alicubi, *& sagittarijs & equitibus.* Malè. Non nouerant illi genus hoc equitum, non temerè quidem aliàs Curtio etiã nominatum. Apud Arrianum frequentius est, qui ἱπποακον-

τισὰς vocat.vt lib.3. Ἀναλαβὼν δὲ τοὺς τε ἑταίρους ἱππέας καὶ τοὺς ἱππακοντιστὰς, καὶ τοὺς τοξότας. Vbi per viam monco corrigẽdum leuiter ἑτέρους. Nec vertendum fuit de ſocijs equitibus, aut capiendum de amicorum ala: ſed hoc dicitur, & alios equites & hos ſagittarios ſiue iaculatores cũ peditibus etiam ſagittariis aſſumtos.

Pag.113. *Sin autem ipſe hoſtem fefelliſſet, & ſaltum occupaſſet, cum trepidantium barbarorũ tumultum exaudiſſet, perſequi id ipſum iter, quo pridie pulſi fuerant, ne dubitaret.*

Varijs gloſſematis hic locus antè conſpurcatus, neq; dũ opinione mea purus putus. Lectionũ diuerſitatẽ apud Modiũ vide. Nos ex ijs hoc exſculpimus, quando pertinaciter libri ſcripti vocẽ *regem* habẽt, ab ea fontem omnis variationis. Hæc corrupta ſcholijs & additamentis occaſionem dedit. Emendanda autẽ iterũ *relegere.* Quod ex animi ſententia dico, ac ſeriò, ſpretis reliquis, ita ſcribo: *cum trepidãtium b. t. exaudiſſet, relegere idipſum iter, q.p.p.f. ne dubitaret.* Non propriè, nõ venuſtè magis potuit: & inficeta p̃ illo, non *perſequi* tantũ vel *ingredi*, ſed quidquid aliud excogitare ingenioſi gloſſographi potuiſſent.

Pag.114. *Duces erant itineris de captiuis dati.*

Malim abeſſe hoc *erant*: quod profectò nec Curtius adiecit.

Pag.115. *Procedenti ei literæ redduntur à Tyridate cuſtode pecuniæ regiæ, indicantes eos qui in vrbe eſſent, audito eius aduentu, diripere velle theſauros: properaret occupare, expeditum iter eſſe,*

quam-

quamquam Araxes amnis interfluat.

Insertæ vulgò binæ voces, *thesauros dimissos:* quas planè infitiias nõ Modius, non alius mihi persuadebit. Emendo ego: *properaret occupare: thesauros ditissimos, expeditum iter esse.* Inuitabat & incitabat eum, quòd cùm iter facile, tum præda esset maxima.

Pag. 116. *Plures igitur lacrumas commouere, quàm profuderãt ipsi: quippe in tam multiplici variaq́; fortuna singulorum intuentibus similes quidem, sed tamen dispares pœnas, quis maximè miserabilis esset, liquere nõ poterat. Vt verò Iouem illi tandem Græciæ vltorem aperuisse oculos conclamauêre, omnes pari supplicio affecti sibi videbantur. Rex absterfis quas profuderat lacrumis bonum habere animũ iubet, visuros vrbes suas cõiugesq́; & castra inde duo ab vrbe stadia communit.*

Leuia fuerunt adhuc, quæ notauimus in hoc libro: grauius hoc erit, & quod à se dabit illis aliquod etiã pondus. Turbatus est locus & confusus, quẽ digero & dirigo traductione, distinctione. Sic mutandus enim ordo: *quippe in tam multiplici variaq́; fortuna singulorum, intuentibus similes quidem, sed tamen dispares pœnas, quis maximè miserabilis esset liquere non poterat: omnes pari supplicio affecti sibi videbantur. Vt verò Iouem illi tandem Græciæ vltorem aperuisse oculos conclamauere, rex absterfis, quas profuderat lacrumis, bonum habere animum iubet.* In quo si fallor aut fallo, nihil ipse dehinc credam, nihil vnquam mihi credi volo.

Ibid. *Nos qui modò etiam ad opem petendam ex tenebris & carcere procedere erubuimus, vt nũc est, supplicia nostra, quorũ nos pudeat magis, an pœniteat incertum est, ostẽdere Graciæ velut lætum spectaculum cupimus.*

In elegantem mehercule splendorem hæc Modius è tam fœdo squallore dedit. Vnum nos monemus etiam, per interrogationem, si forte, efferenda. Nec ignoro enim aliàs, hæc talia qua figura soleant dici, quæ pronunciandi sola ratio moderatur.

Pag.117. *Ita suam quisq; fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat: nisi mutuo miseri essemus, olim alius alij potuissemus esse fastidio.*

Hæc cum ijs quæ & præcedunt & sequuntur, in hũc modum distinguenda, magis in expedito vt sit sententia. *Nemo fideliter diligit, quem fastidit. nam & calamitas querula est, & superba felicitas. Ita suam quisq; fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat. Nisi mutuò miseri essemus, olim alius alij potuissemus esse fastidio: quid mirũ est, fortunatos sempèr parem quærere?* Vbi tamẽ pro *semper* libentius *sibimet* reponam. Et geminam planè mendam in Manilio alicubi scio, de quo ad ipsum fortasse, cùm erit commodum.

Ibid. *Ingrati prorsus coniugibus, quas iuuenes duximus, reuertemur. Liberi in flore & ætatis & rerũ & fratres agnoscent ergastuli detrimenta.*

Postremam copulam in membranis non esse Modius notat: & videri sibi aliud omnino latens vlcus subesse. Rectè suspicatus ille: nobis ipsum

ipſum vlcus magis notum, quod & ſanamus leui manu. Scribimus: *Liberi in flore & ætatis & rerum patres agnoſcent ergaſtuli detrimenta?* Quòd ſi copulam obteri non pateris, muta *vt*: *Vt patres agnoſcent*. quomodo Vell. lib. 2. *At nunc ſi quis tanti habitet, vix vt ſenator agnoſcatur.* Ceterùm *ergaſtuli detrimenta* venuſtè Curtius pro ipſis captiuis & ergaſtulis, vt Apuleius noſter in primo Aſini, *fortunæ decermina*, pro mendicis, quaſi fortunæ recrementa. Sic enim magnus Lipſius iſthic legit, è cuius emẽdatione locum integrum apponam: *Ecce Socratem contubernalem meum aſpicio. Humi ſedebat ſciſſili palliaſtro ſemiamictus, pœnali lurore ac miſera macie deformatus: qualia ſolent fortunæ decermina ſtipes in triuijs erogare.* In quo ipſo vt de alijs cum eo mihi non conuenit, quæ ſuo loco reſeruamus, ita neque de hac voce: de qua nonnihil nunc occaſione oblata, non quæſita, breuiter agemus. Ac *decermina* ſcribi Apuleio potuiſſe non ſum eius oris vt negẽ, frontis eius multò minus, vt improbã vocem aiam. quamquam Feſtus à *decerpo*, vt videtur velle, quomodo formet, equidem non video. Mihi autem iam olim de alia lubuit ſuſpicari, ita parum diuerſa, ita imò ſimili, vt ſit eadem, literulâ exceptâ vnâ modò. Cùm enim in procuſis exſtet omnibus *deterrima, determina* inde fieri non minus ad ſenſum commodè, ad literas verò aliquanto etiam poſſe commodius arbitrabar. A *tero, terui, termen*, & hinc *termentũ* in Plauto eruditi norunt: à cõpoſito quid item ni *determen*? Id

cum *detrimento* Curtiano mirè conuenerit: etsi nec dissimulabo, quid de vtriusque loco etiam aliud aliàs in mentem venerit opinari. Verebar ne Apuleius *decremina* scripsisset, Curtius *decrementa*, simili ac geminâ item formâ. Quæ voces à *decresco*, sic forsan vsurpatæ, vt in contrariam mentem, *incrementum*, à Virgilio, Apuleio, alijs. Virgil. Bucol.

——*Magnum Iouis incrementum.*

Apul. lib. 5. Venus de Cupidine suo. *Nimirum illud incrementum lenam me putauit, cuius monstratu puellam illam cognosceret.* Et Nazarius Panegyr. Constantini, Constantium iuniorem vocat *incrementum maximum publici boni.* Sed hæc olim ad Apuleium pueri allucinabamur: in quem certiora aliquando, magis ętate & vberiore lectione confirmati, dabimus, etsi daturi quando simus, vt res adhuc sunt meæ, nescio. Vt properarem illud hortari poterat, quòd obseruationum nostrarum quotidie numerus decrescit, dum alij, me morante, præueniunt interim ac præcipiunt, vnde periculũ fortè, ne frustrà denique laborauerimus: vt tardem etiam, multæ caussæ sunt in publicum nullâ caussâ vel proferendæ vel tacendæ. Nec est verò vnus ille, cui operam nostram mancipauerimus: & in alios distringimur iam diu, vt ad hunc respicere non vacet. Fidem tamen promissi ante trienniũ iam facti cum fide liberabimus, vt primum licebit, ac maiore cum fœnore soluemus, quod lõgius debemus. Non & mala nomina sunt, quęcunq; lenta.

lenta. De Curtij loco hæc ſcribenti hoc nunc incidit, *retrimenta* legi poſſe faciliore ſenſu, quo & lib. 6. Philotæ ſeruos *purgamenta* vocat: *Admonere eos cœpit, quoties quisq́; diuerſorijs, quæ occupaſſent, deturbatus eſſet, vt purgamenta ſeruorum Philotæ reciperentur eo, vnde commilitones expuliſſet.* Et lib. 8. homines neſcio quos viles, *purgamenta vrbium ſuarum*, quam ſentinã ciuitatis Cicero dicebat: *Et cetera vrbium ſuarum purgamenta, quæ propinquis etiam maximorumq́; exercituum ducibus à rege præferebantur.* Itemq; lib. 10. exules, *purgamenta exſilij*, *Igitur exſules finibus eijciunt, omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam vrbis ſuæ, tunc etiam exilij, admitterẽt.* Hinc prorſus, vt exilij purgamenta, colluuies exulum: ſic ergaſtuli retrimenta ſiue purgamenta, vulgus ergaſtulorum & captiuorum. Retrimenti autem vox non protrita quidem, ſed nec inuſitata. Varro ſeſquiVlyſſe: *Retrimenta cibi, quæ exirent, per poſticum vallem feci.* Quem etiam locum ἐξ ἐπιπολῆς emendo: *Retrimenta cibi quà exirent, per poſticum canalem feci.*

Ibid. *Relinquemus ergo præſentium pignora, cum incertum ſit an viſuri ſimus illa, quæ petimus?*

Malè interpreteris, præſentium coniugum; fruſtrà, præſentium noſtrûm. Omninò *præſentia* ſcribendum. Voce pignorum coniuges hîc ſimul & liberi veniunt: alibi nec hi tantùm, ſed neceſſarij quicunq;.

Pag. 118. *Quin illi ex hoc carcere erumperent, alium*

domi esse cœli haustum, alium lucis aspectum. mores, sacra, linguæ commercium. etiam à barbaris expeti, quæ ingentia ipsi omissuri sint sua sponte: non ob aliud tam calamitosi, quam quod illis carere coacti essent.

Pessimè antehac dispunctum fuisse locum Modius ait, qui sic restituit. Ego distinctionem veterem ita bonam habeo, vt præ ea nouitiam omnem spernam. Illam reduco: *Quin illi ex hoc carcere erumperent. Alium domi esse cœli haustum, alium lucis aspectum. Mores, sacra, lingu commercium etiam à barbaris expeti, quæ ingentia omissuri ipsi sint sua sponte, non ob aliud,* &c. In quibus *ingentia* illud ingenuum esse nũquam putem. Occultata sub eo vox alia, qua Græci hi barbaris se opponant & prçponant. Quçcunque est, non elicio: nisi si *ingeniati.* qua tamen Apuleij & Plauti propria vix vti sustinuerit noster. Cultos quidem & ingenio elegantiori dicere voluisse videtur, aut quid simile, quo à barbarie gentium aliarum, Græcos politiores distinxerit, quod alijs quærendum linquo. Porrò quod initio est, *illi*, venustè sic vsurpatum, cuius gratiam & vim interiorem non quilibet persentiscat. Ita lib.3. *Si id consilium damnaret, at ille diuideret saltem copias innumerabiles.* παρέλκον videtur, & nescio quid tamen ἐνεργείας inspirat orationi.

Ibid. *Si quos contubernij liberorumq́, quos seruitus coegisset agnoscere, amor detineret, relinquerẽt, quibus nil patria carius est.*

Vulgati quidam auctiores vno verbo, *amor detineret,*

detineret,haberent,relinquerent. Vnde fortaſſis emendandum: *ſi q. c. l. q. ſ. c. a. amor detineret, manerent: reliqui irent, quibus nil patria carius eſt*, vel *eſſet*. Sed fortaſſis inquam: nec enim certò ſcio.

Pag. 119. *Multi ergo hoſtium manu voluntariam mortem occupauerunt, pretioſiſsimas veſtium induti, è muris ſemetipſos cum coniugibus ac liberis in præceps iactantes.*

Venia mihi tandem vnius liberioris vocis ſit. Imperitè nimis atq; inſcitè veterem lectionem multis locis mutauit editionis optimæ aliàs auctor, nuſquam magis, quam in hoc: vbi, ſi Dijs placet, ita correxit atque edidit ille, vti nos hîc exhibuimus, cùm antiqua lectione nihil melius, nihil hac noua poſſit inueniri peius. Emēda iterum: *Multi ergo hoſtium manus voluntaria morte occupauerunt*: id eſt, præuenerunt: etſi idem ferè verbi ſenſus etiam in altera ſcriptura. Sed an rectè præueniſſe dici poſſunt mortem voluntariam? & vt interpretemur, inuaſerunt, adierūt; an hoc tandem hoſtium manu? imò ſuâ, imò nec ſua adeò, qui præcipitio ſe perdiderunt. Vulgata nihil clarius: anteuerterunt vim hoſtis illata ſibi ſponte vi à ſemetipſis. Atque hîc morem nota priſcorum ornandi ſe in mortem, ſuprema neceſſitate, quo maximo cultu poſſent. Exempla quædam iam nota, Romanorum patrum capta à Gallis vrbe apud Liuium lib. 5. Quinctilij Vari apud Velleium lib. 2. Cleopatræ apud Florum lib. 4. & Dionem; Olympiadis Alexādri matris apud Iuſtinum lib. 14. alio-

rum plurimorum apud alios multos. Vnum nouiter obſeruamus, etiã militares viros, cùm in aciem ad extremum diſcrimen exirent, ritum eũdem obſeruaſſe. Nec ad alios te ducam: in noſtro vide, & hoc ipſo libro, neq; longè ab hoc loco: *Nos verò*, inquit Artabazus, *pretioſiſſimas veſtium induti, armisq́; quanto maximo cultu poſſumus adornati, regem in aciem ſequemur, ea quidem mente, vt victoriam ſperemus, mortem non recuſemus.*

Ibid. *Tandem ſuis rex corporibus & cultu feminarum abſtinere iuſſit.*

Rectius hîc ſcribes *ſuos*. quod etſi tenue, tamen obſeruet mihi diligens lector, ac ſciat, accuſandi caſu plerumque cum *iubere* verbo Latinos vſos, ſi infinitiuum, vt loquuntur, aliquem adderent, ad quem & ipſum magis caſum eum referebant: ſin hunc omitterent, ſimpliciter iſto dandi.

Pag. 120. *Ceterùm aut de aliis quoq; dubitabimus, aut credimus in huius vrbis Gaza fuiſſe C. & XX. millia talenta.*

Scribe, *credemus*: & ad finem, *talentûm*, quod aliter βαρβαρίζει.

Pag. 123. *Ille iam Ecbatana peruenerat, caput Mediæ. Nunc tenent Parthi: eaq́; æſtiua gentibus.*

Vellem ſobriè magis hæc circũcidiſſet Modius. Mihi diligentius omnem ſcripturæ varietatem penſitanti ſic videtur: *Ille iam Ecbatana peruenerat, caput Mediæ. Vrbem hanc nunc tenent Parthi, eaq́; æſtiua genti ſedes.* Nam gentem ipſos Parthos accipies, qui per æſtatem illuc cõceſſerint, non ignotos

ignotos alios & diſſitos neſcio quos populos, de quibus obſcurè inijcit ille.

Pag.124. *Sed maiore, quàm vellem, documento & virtutem veſtram & fidem expertus magis etiam conniti debeo, vt dignus talibus amicis ſim, quàm dubitare an veſtri ſimiles adhuc ſitis.*

Vide ne legendum, *magis id iam conniti debeo.*

Pag.125. *Nec Dij ſiuerint vt hoc decus capitis mei aut demere mihi quiſquam, aut condonare poßit; nec hoc imperium viuus amittam. idem erit regni mei, qui & ſpiritus finis.*

Rectius hæc & ſcribere & diſtinguere ſe putat Modius, quàm vulgus. aſſentio: ſed ita, vt ſentiam, nec ipſum rectiſſimè. Facio: *Nec Dij ſiuerint* (an, *ſirint*) *vt hoc decus mei capitis aut demere mihi quiſquam, aut condonare poßit. nec hoc imperium viuus amittam, idemq́; erit regni mei & ſpiritus finis.* Confer hæc cum Modianis & vulgatis: videbis quid ab vtriſq; & quare ſim mutuatus.

Ibid. *Nec aut conſilium ſuppetebat, aut vox, cùm Artabazus vetuſtiſſimus amicorum, quem hoſpitem fuiſſe Philippi ſæpe diximus, Nos verò, inquit, &c.*

Ait ſæpe dixiſſe: nec vel ſemel inuenio in hoc & ſuperioribus libris, quos habemus, in amiſſis primo & ſecundo an vſquam meminerit quis ſcire poteſt? Credere tamen id licet: at ſæpe ibi feciſſe, non hoc etiam licet. Igitur, ſi cui ita videatur, in locum τȣ̃ *ſæpe*, reponam *ſupra*, quod reſpiciat ad priores duos, aut alterum eorum, & magis ſecundum, in quo conijcere poſſumus

locum

locum fuiſſe potius ei mentioni. Si minus alijs hoc videtur, at illos delere penitus iubebo. Infrà ſcio idem alicubi dici, lib. 6. *Quippe & hoſpes Philippi fuerat, cum Ocho regnante exularet.*

Pag. 126. *Fortium virorum eſt magis mortem contemnere, quam odiſſe vitam. ſæpe tædio laboris ad vilitatem ſui compelluntur ignaui, at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque vltimum omnium mors eſt, ad quam non pigrè ire ſatis eſt.*

Non aptè, meo quidem animo, infertur *Itaq;*. Non enim gnomas haſce claudit. Aptius credam *Vtiq;*. Sanè ſciamus, inquit, poſt mortem nihil eſſe noſtri amplius: ad eam igitur non curſu & ſponte properandum, ſatis ſi non lento & inuito gradu eatur. Ipſæ ſententiæ multorum ore celebratæ: quarum aliquot è pluſculis ſcriptoribus affert ad Tacitum lib. 2. hiſtor. diuinus Lipſius: & addi cum ſimiles aliunde plures, tum hæc non abſimilis ex Oedipo tragœdi cuiuſcunq; poteſt:

Haud eſt virile terga fortunæ dare.

Pag. 127. *Inſtare Alexandrum, grauem, etiamſi omnes præſto eſſent. Quid futurum, ſi perſecuti fugam ipſius alienentur à rege? Ea re paruit Artabazo, & quamquam mouere caſtra ſtatuerat turbatis tamen omnium animis eodem in loco ſubſtitit.*

Hæſitationem librarij ſubodoror, qui cum legere diuulſam ac laceram forte veram vocem nequiret, in plures eam pro captu ſuo tribuit, & ſcripſit, *à rege, ea re*, cum deberet ſimpliciter

ægrè

ægrè. Nam ſic omnino me auctore corrigēdum: *Inſtare Alexandrum, grauem, etiamſi omnes præſtò eſſent: quid futurum, ſi perſecuti fugam ipſius alienētur? Aegrè paruit ArtabaZo, & quanquam.* Nihil certius de re, de verbis. Ægrè Darius ac vix parebat: quod notare voluit Curtius ac debuit. *Ea re* laxum nimis, & non magnoperè hîc faciens ad ſtructuram exactam. *A rege* quid opus erat addi? maximè cum ad regem ipſum loqueretur, atq; etiam quia dixerat iam *fugam ipſius*, cui potius *ab eo* ſubiunxiſſet. Qui aliter ſentiet, eum nihil ſentire ſentiam. Quamquam de origine mendi ſic potius habendum, ſi quid refert, vt nunc in mentem venit. Exoleſcētem ac fugientem fortè vocem ſatis aſſequi librarij nequiuere, quorum alius inde *à rege*, alius *ea re* legit ac ſcripſit: quæ poſt vtraq; ſimul in contextum, vt ſolet, ab alijs relata.

Pag. 128. *Ille Perſarum tabernacula circuire, hortari, monere nunc ſingulos, nunc vniuerſos non ante deſtitit, quàm ſatis conſtaret, imperata facturos.*

Bona lectio; nec peior: *monere nunc ſingulos, nunc vniuerſos: nec ante deſtitit, quàm ſatis conſtaret, &c.* Vtra melior non ſatis mihi conſtat.

Pag. 129. *Hæc agitantibus ArtabaZus ſuperuenit, ſiue regis iuſſu, ſiue ſua ſponte, affirmans mitigatum eſſe Darium, & eundem illis amicitiæ gradum patere apud regem.*

Quis ſcit, an non & hic vltimæ voces, *apud regem*, additiæ? Nihil ijs quidem video opus,

pus, & timidè tamen alienas affirmarim.

Pag.130. *Qui vt tandem aduertit oculos, Bubazem spadonem inter proximos currum sequẽtem percunctari iubet, nũquid ipse velit dicere? Patron se verò, sed remotis arbitris loqui velle cũ eo respõdit.*

Quia dubitare semel cœpi & ad Pyrrhonios transij, non credo & isti loco ex sectæ lege. Gemina illa & ab auctore esse, *loqui velle cum eo*, non queo mihi persuadere: tu quid statuas, eijciẽda an retinenda putes, vide. Quorsum autem retineas, quæcum odio & tædio adsint, cũ venustate & suauitate absint?

Ibid. *Darius autem, quantum ex vultu conspici poterat, haud sanè territus, percõtari Patrona caussam consilij quod afferret.*

Suo periculo censet Modius, *conspici* rescribendum: ego pænè contra meo, *concipi* retinendum. Valet, intelligi, coniectari. Atq; eadẽ permutatio lib. sequenti. Nam & illic quidã: *Is quod ex vultu quoq; percipi poterat, similis attonito:* vbi plerıq; tamen, & Modiani, *perspici.*

P.130.& 131. *Ille nõ vltra differendum ratus; Bessus, inquit, & Nabarzenes insidiantur tibi, in vltimo discrimine & fortunæ tuæ & vitæ. Hic dies aut parricidis, aut tibi futurus vltimus.*

Vnius literulæ mutatione feceris elegantiora: *Bessus, inquit, & Nabarzanes insidiantur tibi: in vltimo discrimine es fortunæ tuæ & vitæ.*

Pag.131. *Eludant licet, quibus fortè temerè humana negotia volui agiq; persuasum est: equidem æterna constitutione crediderim nexuq; caussarum latentium*

latentium & multo ante destinatarum suum quemq; ordinem immutabili lege percurrere.

Aurea verba, non auro comparanda senten-tia. Sed scribe, *suum quæq; ordinem.* quod typographicum hîc saltem opinarer, ni in libris reliquis & idem vulgatum mendum. At rectius illud alij, *fortè ac temerè*, copulâ insertâ. Vereor autẽ, ne particula etiã vna desit, qua cum prioribus verbis locus hic nectatur, vt comprehensio eiusmodi existat: *Et Patron quidẽ egregiam conseruati regis gloriã tulerat: sed eludant licet, quibus fortè ac temerè h.n.u.a.p.e.e.æ.c.c.n.c.l.e.m.a.d. suũ quæq; ordinẽ i.l.percurrere. Darius ergò respondit, quamquam sibi Græcorum militum fides nota sit, nunquam tamen à popularibus suis recessurum.* Vbi & *ergo* scripsimus, pro certè: quòd item sequẽs nexa sic & apta melius ex se oratio. Tamen id non pertendo. Prioribus & sensu & verborũ structura simile quodammodo illud lib. 4. *Denunciato in illum diem periculo, vt arbitrabatur ipse, defunctus: sed, vt opinor, ineuitabile est fatum.* In his quod legitur, *conseruati regis gloriam tulerat*: explicandum verbum, laturus erat, ac subintelligendum, si per fata nimirum licuisset. Ita enim aptè subiecerit opinionem de fatali necessitate suam. Ac præteritæ significationis verba pro futuris accipi frequẽs. Ita mox à paucis lineis: *Quicquid fors tulisset, inter suos perpeti malle*: valet, latura esset. In eadem caussa alia plura. lib. 4. *Si saniora consilia tandem pati potuisset, contentus patrio, cederet alieni imperij finibus.* Ibid. *Quocunque ille fugere potuisset,*

ipsum

ipsum sequi posse.lib.3.*Persas recentes subinde successuros, si laxius stare potuissent*. lib.7. *Admonuit, qui literas in Macedoniam ad suos scripsisset, ijs quos ipse mittebat, perlaturis cum fide, traderet*.Sueton.Tiber.c.67.*Similem se semper sui futurum, nec vnquam mutaturum mores suos, quamdiu mẽtis sanæ fuisset*. Sallust. Iugurthâ: *Respondit, vbi primum per negocia publica potuisset, facturum sese quæ peteret*. Val. Max. lib.9. c.3.*Iuraret, se cum primum per ætatem potuisset, acerrimum hostem pop.Roman.futurum*. Idem lib.5.c.3. *Nonne ingeniosum & garrulum populum mutum atq; elinguem hac postulatione reddidisset?* Sed hæc vbique, si quis aduertat, obuia quid hoc loco cumulemus?

Ibid.*Serò se perire, si saluum esse milites sui nollent*. Certò hic vox *milites* inculcata. Non debuit addi perperam glossa: quæ rectè exulat alibi. Paullò antè: *Quidquid fors tulisset, inter suos perpeti malle, quàm transfugam fieri*. Nec multò post: *Sed eo rerum ventum erat, vt tam periculosum esset non credere suis, quam decipi*.

Pag.132. *Destinatus forti suæ, & iam nullius salubris consilij patiens, vnicam in illa fortuna opem Artabazum, vltimùm illũ visurus, amplectitur, perfusisq; mutuis lacrumis, inhærentem sibi auelli iubet. capite deinde velato, ne inter gemitus digredientem velut à rogo intueretur, in humum pronum corpus abiecit*.

Et verò miserabiliter scriptum, lector, & lacrumas mecum non tenes scio. Sed cum humanæ miseriæ indolueris satis, & Darij vicem tuo etiam

etiam gemitu ſubleuaris, abſterge oculos & attolle, vt videas ac diſpicias, ſincera ne verba iſta: *digredientem velut à rogo:* quæ ego apta nō negem plane, neque eò minus à naſutulo aliquo interpolata conſtanter auſim affirmare. De rogo ſit aliquid, atq; ipſe ſcio, quid dici, quî interpretari, quî defendi poſſit: verùm enimuerò Curtius aliter ſcripſit, ac vera lectio non diu quæſita, feliciter inuenta nobis. Nam vel quouis ſacramento contenderim, ita reſcribendum: *Capite deinde velato, ne inter gemitus digredientem velà tergo intueretur, in humum pronum corpus abiecit.* Hæc Curtij mens, hic Darij adfectus, qui abeuntem amicum nec à tergo ſuſtinebat intueri. Quod qui non aſſentietur mihi, ſenſu carentem humanitatis, & affectus omnis expertem, non hominem profectò, ſed ſtupidum ſtipitem appellabo. Non parui emendatio hæc momenti, in qua meritò placeam mihi, ſi φιλαυτὸς haberi velim: eſt & altera leuior; vt *perfuſusq;* legatur, aut *profuſisq;*. ſed illud magis, quod & habent aliæ editiones.

Pag.133. *Forſitan mireris, quòd vitam non finiam. Alieno ſcelere quàm meo mori malo.*

Non temerè damnem, etſi ſuſpectum. Neq; enim ſanè ſcelus illis αὐτοχειρία: & ſic vti poterat, ne ſic ſceleſtè moreretur, aliena manu, vel huius ipſius Bubacis. Quod ſolenne quidē priſcis: atque, vt Florus ait, *Viri fortes & ſapientes in vltimis non ſuis manibus vſi, ne violarent manus, ſed in abolitione ſanctiſſimarū pientiſſimarumq; animarum*

iudicio suo, alieno scelere vterentur. At quid tamen hæsito, quin aut sentiam liberè, aut proferam, quod sentio liberius? Cordato lectori non diffidam, cui soli probabo vocem excidisse, quam reponimus audacter: *Alieno scelere, quam metu meo mori malo.* Id vnde? qua auctoritate? Exemplo Curtij ipsius, aut Alexandri, qui lib. 3. sic quoq;, cum de medici fide & periculo suo anxius deliberaret: *Damnemne medici fidem? in tabernaculo me opprimi patiar? Atqui satius est, alieno me mori scelere, quàm metu meo.* Is viri fortis animus, nec Darij nunc minus quàm Alexandri. Illius hęc etiam excusatio ad mollem spadonem. Denique Curtium qui nouit, imitationem in eo sui ipsius alibi solẽnem & hîc agnoscet: lubenter quidem & cum magna voluptate.

Ibid. *Rex curru paullò antè vectus, & Deorum à suis honoribus cultus, nulla externa ope admota, captiuus seruorum suorum, in sordidum vehiculum pellibus vndiq; contectum imponitur.*

De huius quoq; loci integritate valdè dubito: nec abest multum, quin mutilum pronuntiem. Illud *externa ope* nos mouet, inidoneum ei menti, quam Curtius sequebatur. Hæc enim quæ fuerit, haud ægrè conijcimus: ipsa verba non diuinamus. At neque requiruntur à nobis ista: quæ tamen aut hæc, aut non valdè dissimilia necesse est fuisse: *nulla externa vi admota, domestica omni ope adempta.* Verecundè licuerit hæc nobis attentasse, quę nostra quidem haberi volumus, agnosci Curtiana non postulamus. Et

tamen

tamen integer etiam videri locus, si rectè capias, possit. *Non admota externa ope,* cuius iam scilicet egebat, à suis planè destitutus. Infra: *Qui vltimum ausus scelus, regem suum etiam externa opis egētem, certè cui nos victores pepercissemus, quasi captiuum in vinculis habuit.*

Pag. 136. *Ille Deos vltores adesse testatur, & Alexandri fidem implorans, negat se parricidas velle comitari.*

Quantulumcunq; interest, malim *testatus.*

Ibid. *Quingenti tantum equites congregauerant se, incerti adhuc resistere melius esset an fugere.*

Distingues ita, ne *adhuc* iungas cum *incerti,* sed cum *resistere,* vel cũ ipso *melius,* quod nescio an hic omninò melius; ex Curtij quidem more planè scio. lib. 4. *Melius adhuc ratus Alexander in eodem tumulo castra munire, vallum iaci iussit.* Alij sic quoque sæpe. Plinius Panegyr. *Quorum vtroq; ita frueris, vt quum ipse ardentissimè diligas, adhuc tamen ardentius diligaris.*


Ibid. *Tria fermè millia resistentium occisa sunt: reliquum agmen more pecudum intactum agebatur, iubente rege vt cædibus abstineretur.*

Malim traiectâ voculâ: *reliquum agmen intactum more pecudum agebatur, iubente* &c.

VALENTIS ACIDALII IN Q. CVRTII LIBRVM VI. ANIMADVERSIONES.

AD

NICOLAVM RHEDIGERVM virum nobiliss. patritium Vratislau.



Vis Musarum nomen, & Rhedigerorũ nõ vnà nouit? quis illas ritè, nisi hos pariter amet, colat? Ego de me vt fatear, iam quidẽ puer etiã & noui & amaui & colui præclarissimã familiam, cuius à multis audieram illustria in literas literatosq́; beneficia prædicari. Vnum ex ea præcipuè Thomam sic extollebant omnes, vt publico nostro bono natum, malo denatum ferrent: quẽ exteri etiam homines certatim scriptis suis viuentem venerati, mortuum eodem studio docti quicunq; prosecuti, memoriam eius hodieq́; omni genere honorũ colunt, quam immortalitati pridem monumentis æternis suis consecrarunt. Sed vt huius & conspicua maximè merita, & fama celebrior vnius: aliorum tamen indidem nec obscura illa, nec hæc ignota, & minimè paucorum. sunt imò in ore omnium laudes omnium,

quas

quas me quoq; persequi alibi sæpè iuuat, hoc loco minus decet. Ad te enim scribens, Nicolae Rhedigere, vir nobilißime, decus & ipse familiæ tuæ singulare, temperare mihi debeo, ne non magis vel ipsi vero, vel studio in vos meo, quã gratiæ tuæ & tuorum videar, quodcunq; vobis dedero, dedisse. Quæ pauca nunc dixi, eò dixi, vt & affectus hic animi mei à puero deuoti nomini vestro, & ex eo causa potißima innotesceret tibi qualiscunq; huius scriptionis & & inscriptionis. Etenim quos tam diu tacitus apud me sum veneratus, & quibus debere me censui semper affectus aliquod huius monumentum; ijs debere diutius non potui, quin libelli istius occasione qualemcunq; nunc publicè darem significationem. Et eam adeo ipsam vt tibi præ ceteris exhiberem, non suasit ea tantùm ratio, quæ inter tuos debere nũc tibi præcipuè subijciebat, sed impulit illa quoq;, quæ velle tibi vnicè faciebat. Nam vt debebã propter eruditionem maximam, qua familiam tuam hodie ducis, vnus omnium vestrorum doctißimus, cui nec comparari gentis hic alterius hac in parte quisquam poßit: ita & volebam & velle cogebar ab humanitate illa beneuolentiaq; in me tua mirifica, quam ostendis iam sæpe mihi per amicos in sermonibus & li-

teris ad ipsos. Hanc vt mihi gratam videas, atq; vt accipi sic intelligas, quomodo planè debet; etsi nequeo contrà vt volo probare, volo tamen ostēdere, vt omninò queo, dedicatione particulæ huius ex Animaduersionibus nostris Curtianis: quam ad te nunc ipsum ita posse optem mittere & præmittere, dum ipse sequar, vt veteres venturi ad amicos præparare sibi aditum hoc genere solebant. Nosti enim antiquum eruditorum morem, qui si quos inuisere statuissent, ad eos præuiam Musam, vel libellum aliquem ἀσπαστικὸν, vel epistolam metatoriā ablegabant. Hos vt dico imitari ego, si possim, velim, quando veniendum mihi aliquando iam est, toties tam humaniter à te in suburbanum tuum, in quo maximam partē, vrbanos strepitus fugiēs, literariæ quietis auidus agis, vt me nunquam etiam, dum hic sum, per occupationes tuas tibi visum nosceres, inuitato. Sed quod volo tantoperè, metuo vt possim: imo certū est, non posse: nec enim hæc typis describentur ita subitò, vt mitti queant prius, q̄ ipsi mihi gradus erit ad te affectādus. Post igitur hæc, cū à Typographo redierint, intra menses aliquot; me autē mox videbis, cū erit cōmodum amicis, per quos & quibuscum vocas, quibusq; vti ego tāquam mystagogis maxime la-

tor,

tor, vt ab his potißimũ in notitiæ tuæ ſacrariũ deducar, & ipſis initier amicitiæ ſacris. Videbis hominem, nõ qualem promittis fortaſſe tibi, nec in quo ſpem tuã agnoſcas: eum tamẽ, qui viſus auditusq́; ſi minus ceteris reb. ſatisfecerit, obſeruãtia in te ſua redimat alia omnia, & hac vna expleat iſtã ſui cupiditatẽ. Quã adeò magnam nihil eſt in me quod excitare tibi merito potuerit: & nimiũ indulges beneuolentiæ tuæ, qui tam præclarã de me foueas opinionẽ. Nam quod ſic æſtimas me, tribuere nulli rei, niſi amori tuo poſſum: cui vt ipſi videmur, qui non ſumus, ita hæc vtinam, quæ in Curtiũ miſſuri ſumus videãtur! quæ placitura quidẽ aliter vix ſperarim. quamquã vt ſic placeant, neq́; debeo optare, neq́; ſanè opto. Adhibe imo iudicium illud acerrimũ tuũ, amore ſepoſito, & cenſuram age liberrimam: quam ſi eruditio & ſcripta noſtra ſuſtinere non poterunt, mores quidẽ & vita ſuſtinebũt egregiè, quib. & malo probari probis omnib. inprimisq́;, nobiliſs. Rhedigere tibi, quẽ nõ Doctrina magis admirabilẽ, quam Virtus venerabilem, vtraq́; certè facit ita & omnibus carũ & vbiq́; clarũ, vt per te familiæ veſtræ, vtriusq́; laude iam pridẽ celeberrimæ, & dignitas nũc magis exſplendeſcat, & gloria ad famam perpetuæ poſteritatis effloreſcat.

VAL. ACIDALII
AD Q. CVRTII LIBRVM VI.
ANIMADVERSIONES.

LEgenti mihi bonos auctores, & quàm eruditi, quàm multi, quanto labore, quantoq; iam tempore in expurgandos eos à tenebris & maculis incubuerint, cogitanti mirari sæpe subuenit & illorum prodigiosam corruptionem, & horum felicem industriam; ac miserari rursus hanc inexhaustam adhuc, illam exhauriendam fortasse vix vnquam, vt & dubitare necesse sit adeò, plurane vitia sublata sint à prioribus, an posterioribus relicta: de quibus nec ipsis vtrinque satis certum, illane plus olim negotij præteritis ingenijs fecerint, an hęc futuris deinceps assiduò sint factura. Magna vitiorum etiam nunc vbique materies, imo & fœcunditas quotidie, quasi subolescentium, dum oriuntur ex alijs alia, quoque plura tolluntur, hoc repullulare plura videntur, quibus haud immeritò desperemus vllũ vnquam parem fore vel vberrimum prouentum ingeniorum. Neque hæc vt absterream alios dico, nec quòd ipse sim deterritus: sed vt excitem me pariter aliosq; & ad diligentiam maiorem studiumque indefessum acuam, ne defatigemur in exstirpanda barbarie, nec finem faciamus ante-

antequam vestigia eius nulla amplius inueniamus. Hoc & difficile sanè admodum, & vix in viribus ingenij humani: at nihil arduum animo magno, nihil nimium improbo labori. Luctemur cum difficultate, capiamusque spiritus ab ipsa rei mole, in qua vel adnisum esse pulchrum est: nec destituet fortuna conatum omnium, si quorundam minus adiuuabit. Nos hoc animo viam hanc ingressi, quod in nobis est, sedulò faciemus, & pro parte copiaque nostra conferemus in commune symbolam qualemcunque post alios, & cum alijs, quorum in isto studio vel collegæ sumus vel imitatores. Nunc in Curtio sumus, in quo tot ante nos viri docti laborauerunt, tamque multa post se reliquerunt tamen, in quibus etiam laboretur, vt exinde potissimum in mentem nunc mihi venerit & cogitare, quæ scripsi, & scribere quæ cogitaui. Iam primùm sub initia seculi politioris Huttenus hic sudauit & Erasmus: qui defuncti tamen leuiter, occasionem dedére magis alijs expoliendi, diligentius operis, quod ipsi rude vix satis inchoassent. Successit ergo Glareanus, ille quidem non malè de Curtio meritus, neque semper ineptus adeò, vt videtur alijs, aut hi videri eum nobis volunt, quamquam scio multa & hîc & alibi conatum, quæ nec ipse probo, & sine stomacho vel risu non transmitto. Sed amplecti voluntatem certè debeas, & studium laudare: quod & in alijs ego facio, qui hunc insecuti postea tametsi

ridiculus magis & minus vtilis eorum labor, sæpè nocuus etiam in lacunis explendis, & supplementis, si Musis placet, concinnandis: donec exortus denique V.Cl. Fr. Modius, qui multorum fultus ope codicum manu scriptorum & amicorum aliquot, ac in his Germanorum subsidio, non quæ priores neglexissent tantùm, sed & quæ malè tractassent, omnia diligenti cura, magnoque iudicio persecutus, auctori tantum lucis conciliauit ac nitoris, vt videri alius ille ac renatus posset, etiam sibi pænè esset ipsi, quatenus licet, redditus, nisi nonnulli superessent næui, quorum maximam partem nos abstergendam nobis sumsimus, & tamen haud fortasse minimam post nos etiam alijs relinquemus. Existant vtinam, qui perpurgent! nos interim, vt cœpimus, analecta quædam viliora euerramus.

Pag. 138. *Non tamen omisère Lacedamonij pugnam, & vt primum sibi quam hosti æquiorem locum capere potuerunt, densatis ordinibus effusi, fluentem in se aciem excepère.*

Monstrum in sententia. Vtine densarint se simul & effuderint? Verbulum corrige, *effusè*: id extrito commate refer ad sequens *fluentem.* Laxam & fluxam aciem densati stipatiq; excipiebant.

Ibid. *Spectabant ergo plures, quàm inierant prælium: & qui extra teli iactum erant, clamore inuicem suos accendebant.*

Fuit

Fuit cum mallem, *inirent*: neque nunc pœnitet, si inuenio, cui probem. si nemini persuadeo, promtus etiam ego vulgato iterum adhærere.

Pag.139. *Quippe Alexander hostes vinci voluerat, Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem indignabatur, suæ demtum gloriæ existimans quidquid cessisset alienæ.*

Non satis liquet hoc, quod leui mutatione sic clarabis: *Antipatrum vicisse, nec tacitus quidem, indignabatur.* Multò expressius ita, nec in eam mentem aliter Latinus. Vt vulgò est, eò traxeris, quasi non sit indignatus, ne tacitus quidem & intra se, qui maximè & palam indignabatur, Alexander.

Ibid. *A quo Lacedæmonij nihil aliud, quàm vt oratores mittere ad regem liceret precati, non grauatè veniam defectionis præter auctores impetrauerunt.*

Sequitur hîc eorum exemplum Modius, quos tam sæpe damnat, ac præpostera liberalitate de suo ista donat auctori, *non grauatè.* Iubeamus illum quoque res suas sibi viciſſim habere. Nam quę ratio, quia in membranis pro *precati, geate* vel *grate*; nouas inde voces potius exsculpere, quàm eam ipsam, cuius locum occupabant, elicere? scilicet compendiosè, virgulâ τῷ *p*, quod ambiguè tamen etiam *g*, superimpositâ scriptum *precati* fuit: hoc leuiter deinde in eam faciem, quam membra-

næ exhibent corruptum, è qua facile tamen vel alius quiuis, tantò facilius Modius germanum *precati* agnoſceret. Reddimus ei ſuum non grauatè, quod grauatè ſanè Curtius accepit.

Pag. 141. *Poſtero autem die præcepit Ephæſtioni, vt omnes captiuos in regiam iuberet adduci. Vbi ſingulorum nobilitate ſpectata ſecreuit à vulgo, quorum eminebat genus: M. hi fuerunt inter quos repertus eſt Oxatres Darij frater, non illius fortuna, quàm indole animi ſui clarior. XXVI. millia talentûm proxima præda redacta erant: è quîs XII. millia in congiarium abſumta ſunt. Par huic pecuniæ ſumma cuſtodum fraudè ſubtracta eſt. Oxidates erat nobilis Perſes, à Dario capitali ſupplicio deſtinatus cohibebatur in vinculis. Huic liberato Satrapeam Mediæ attribuit, fratremque Darij recepit in cohortem amicorum, omni vetuſtæ claritatis honore ſeruato. Hinc in Parthienen peruentum eſt, tunc ignobilem gentem, nunc caput omnium, qui poſt Euphratem & Tigrim omnes ſiti rubro mari terminantur.*

Fuit prolixius adſcribendus locus, vt ratio lectori facilius conſtaret emendationis. Hanc puto certam habere me, nec leuem: quippe in ordine turbato, & ἀνακολουθία manifeſta. Quis non videt malè cohærere iſta? *Oxidates erat nobilis Perſes, à Dario capitali ſupplicio deſtinatus, cohibebatur in vinculis.* Iam quis credat, captiuorum recenſioni interſeruiſſe Curtium de præda in

da in militum congiarium absumta partim, partim custodum fraude subtracta? ἀπρεπέστατον hoc & indecorum. Nec est per auctorem aliter, neque potest ex ipsa re, quin illa cohæserint de Darij fratre, & nobili altero Oxidate. At nunc quomodo diuulsa? Transposita liquet, & fas nobis sic restituere, pristina serie verborum ex ingenio retextâ. Scribe totum locum de integro: *M. hi fuerunt: inter quos repertus est Oxatres Darij frater, non illius fortuna, quàm indole animi sui clarior. Oxidates etiam nobilis Perses, à Dario capitali supplicio destinatus, cohibebatur in vinculis. Huic liberato Satrapeam Mediæ attribuit, fratrémque Darij recepit in cohortem amicorum, omni vetustæ claritatis honore seruato. XXVI. millia talentûm è proxima præda redacta erant, è quîs XII. millia in congiarium militum absumta sunt. Par huic pecuniæ summa custodum fraude subtracta est. Hinc in Parthienen peruentum est, tunc ignob.* Quæ insititia antè, nunc traduximus, haud dubiè in natalem reduximus locum. de quo si quis tamen hæret, illud quidem consentiet statim, captiuorum sic rectè continuatam enumerationem. Omni enim modo Oxathres & Oxidates isto coniungendi modo.

Ibid. *Scythæ regionem campestrem ac fertilem occupauerunt, graues adhuc accolæ. Sedes habent & in Europa & in Asia.*

Non satis fido istis verbis, *graues adhuc accolæ.* Suspicor leuiter, *gnaui adhuc agricolæ:* vt commendet

mendet eos à peritia agriculturæ, qua excellant suo etiam tempore. Certè studium & vita illis in illa maximè, qui propterea campestrem fertilemque, vt hic ait, regionem occuparint, & vt lib. 7. inter bona sua præcipuè iugum boum numerent & aratrum.

Pag. 142. *Vrbs erat ea tempestate clara Hecatompylos, condita à Græcis. Ibi statiua rex habuit, commeatibus vndique aduectis. Itaque rumor otiosi militis viritim sine auctore percrebuit, regem contentum rebus quas gessisset, in Macedoniam protinus redire statuisse.*

Offendi iam olim vehementer ad vocem *viritim*, cuius insolens hic vsus, nec qui ferri posset, vt ego sentiebam. Itaque variè mutabam, nec ineptè quidquam: omnia tamen frustrà, quando alia tandem scripta lectio reperta in Modij Sigebergensi bono sanè libro. Is pro ea *vitium* habet: in sanè benè. Nec enim ferri modo potest, quod Modius ait, sed ferri vna, & præferri omnibus debet ipsissima Curtij scriptura. *Rumor otiosi militis vitium*, verè. Sic libro 8. idem *Otium serendis rumoribus natum* ait. Et huc trahas illud è Taciti Annal. 14. ambiguæ adhuc lectionis: *Hæc more famæ, credentium otio augebantur.* quod eo modo noster hic ipse Modius in Nouantiquis censuit emendandum, cum vulgò scribatur: *Hæc in ore famæ credentium otio agebantur.* Sed de illo exspecta nos ad ipsum Tacitum suo propriè loco. Curtij quidem etiam nostri istud ex

8. lib.

8. libro huc accommodaueris: *Seditiosaque voces referebantur ad regem, quis ille haud sanè motus satísque prudens, otij vitia negotio discuti, edicit vt omnes in vestibulo regiæ præstò sint.*

Pag. 144. *Vestris armis continentur, non suis moribus: & qui præsentes metuunt, in absentia hostes erunt.*

Clarius & venustius fuerit, *in absentis*, siue *absentes.* Atque ita credimus omninò Curtium scripsisse.

Pag. 146. *Ex ipsis radicibus montium Zioberis amnis effunditur, qui tria ferè stadia in longitudinem vniuersus fluit: deinde saxo, quod alueolum interpolat, repercussus duo itinera velut dispensatis aquis aperit.*

Vbique ferè turbæ & confusio in verbis *interpolat, interpellat*, suppositis inuicem sibi, nec locum suum tuentibus præ iniuria alterna. Hìc quidem *interpellat* esse verius putem, quod præferunt quidam è vulgatis. Atque idem rectè lib. 4. repositum à Modio: *Quippe multam harenam vicinum mare euomit, nec saxa cotesque quæ interpellent specus, obstant.* vbi vulgò *interpolent.* Illud etiam inferius legitur hoc libro: *Otium interpellandum erat bello.* quo loco non constituo, an melius *interpolandum.* Bonum & elegans vtrumque. At alibi non nisi alterum legendum. lib. 4. *Silentium gemitu interpolabo.* lib. 6. *Satietatem epularum ludis interpolabat.*

polabat. In Manilio dubitaui quoque iam olim: lib.3.

Et modò deeſt aliud, modò adeſt, vicibusq́; recedit
Aut redit, atq; alio mutatur tempore tempus
Interpellatum variantum ſorte dierum.

Dubitaui an non rectius *Interpolatum:* maximè ob præcedens verbum *mutatur.* Sed hoc ſuo quoque, cum Dij volent, loco diſpiciemus.

Ibid. *Itaq; Alexander duos tauros, quà ſubeunt aquæ terram, præcipitari iubet: quorum corpora, vbi rurſus erumpit, expulſa vidêre, qui miſſi erant vt exciperent.*

Ad *erumpit* amnem potes intelligere: tamen quia aquas terram ſubeuntes præmiſit, concinnius *erumpunt* legas: niſi vel hoc ipſum ideò de induſtria vitatū, ne in ſenſu pareret ambiguitatem, & temerè de corporibus taurorum, non de aquis caperetur.

Pag.147. *Se in præcipiti & lubrico ſtantem, conſilium à præſenti neceſſitate repetiſſe.*

Prorſus hoc & ipſe malo præ vulgatorum *reperiſſe:* quod tamen neque ipſum inelegans præpoſitione mutata: *conſilium è præſenti neceſſitate reperiſſe.* id eſt quæſiſſe & inueniſſe conſilium è re nata, atq; vt præſens neceſſitas ſubijciebat.

P.148. *Alij ſunt, qui Mæotim paludem in id cadere putent, & argumentum afferunt, aquam, quo dulcior ſit, quam cetera maria, infuſo paludis humore miteſcere.*

Legam,

Legam, *quòd dulcior sit*, vel certè *quia*. nam vulgati *quæ* repræſentant. Vidi & alibi *argumento:* quod valeat, in argumentum, pro argumento.

Ibid. *Ad Septentrionē ingens in littus mare incumbit, longeq; agit fluctus, & magna parte exæſtuans ſtagnat. Idem alio cœli ſtatu recipit in ſe fretum, eodemq; impetu quo effuſum eſt, relabēs, terram naturæ ſuæ reddit.*

Non conſtituo, hoc quod ſcripti libri, an *à Septentrione*, quod impreſſi habent, melius. Illud planè ac facile ſtatuo, voculam deinceps tranſponendam: *recipit ſe in fretum*. quod cum ſententia manifeſtè velit, mirum eſt nō alios antehac vidiſſe.

Ibid. *Præter alios cōmeatus, quorum tum copia regio abundabat, pomorum quoq; ingens modus naſcitur, & vberrimum gignendis vuis ſolum eſt.*

De veritate ſcripturæ huius nō dubitem, etſi cōcutiunt quidam omiſſione τȢ *tum*, vt ſcribendum forte *quorum copia regio abundat*. Ego nolim, non verborum equidem, ſed ſententiæ cauſa.

Pag. 194. *Dexteram venienti obtulit rex: quippe & hoſpes Philippi fuerat, cùm Ocho regnante exularet, & hoſpitij pignora in regem ſuum ad vltimum fides conſeruata vincebat.*

Hoc explicandum, ne etiam peruertatur. Iſta enim vera mens. Alexandro duplici nomine carus & gratus Artabazus; & ob hoſpitij cū patre ius, & magis ob fidem, quam ad vltimum regi ſuo conſtantem exhibuiſſet. Hoſpitij pignore cōmendatum validius egregia ſua virtus commendabat

 mendabat

mendabat & fides tam certa vnius in regẽ ſuum, quantumuis hoſtem Alexandri. Alia ſcriptura alienam ſententiam gignat: *quippe hoſpes Philippi fuerat, cùm O r. exſularet, ſed hoſpitÿ pignora in r. ſ. a. v. ſ. conſeruata vicerat.*

Pag. 150 *Vna ratio erat cædendo aperire ſaltum Sed hoc quoq; magni operis: crebri namq; nodi nudauerant ſtipites, & in ſe implicati arborum rami ſuſpenſis circulis ſimiles lento vimine fruſtrabantur ictus.*

Vulgò *nodauerant*. Sed & hoc & illud pariter ineptum. Quis nodos nodare dicat? quid autem ad rem ſi nodi ſtipites nudarunt? quos tamen illi quomodo nudarũt? Emendo, *durauerant*. Nodi crebri interuenientes durant & inobediens cædenti faciunt lignum: quod nemo vſq; adeò lignum vt ignoret.

Pag. 151. *Iam aliquantulum altitudinis opus creuerat, cum barbari deſperato, regionem quam occupauerant, poſſe retineri, gentem ſuam dedidere.*

Addenda præpoſitio: *Iam in aliquantulum.* lib. 4. *Iamque à fundo maris in altitudinem modicam opus excreuerat.*

Ibid. *Inter quæ Bagoas erat ſpecie ſingulari ſpado, atq; in ipſo flore pueritiæ, cui & Darius fuerat, & mox Alexander aſſueuit.*

Non poteſt abeſſe, quamquã defuit in membranis, quod adeſt, non ſupereſt in vulgatis: *fuerat aſſuetus.*

Pag. 152. *Nec tamen ſinus veſtis, quẽ nodo colligunt, infra genua deſcendit.*

Verſum

Versum Maronis aspexit: — *nodeq; sinus collecta fluentes.*

Pag. 155. *Ceterùm Satibarzanem, quem Satrapen Ariorum ipse præfecisset, defecisse ab eo.*

Est & *Satrapiæ*: quod potius videtur cũ verbo *præfecisset*, vt alterũ *Satrapen* cum simplici *fecisset*.

Ibid. *In vertice herbidus cãpus. in hoc multitudinem imbellium cõsidere iubent: ipsi quà rupes erat, arborum truncos & saxa obmoliuntur.*

Qui attẽtius hoc legit, neq; prætervolat oculo vel animo, cum necesse est offendi. Quo enim consilio illi saxa & arborum truncos obmoliebantur ea parte, qua erat rupes? Hîc quidẽ nulla munitione opus, vbi rupes ipsa satis arduũ munimentum. Contrà potius, *quà rupes deerat*. Illîc naturâ deficiente, manu & arte subueniendum erat. Sed non ita tamen auctor scripsit, cuius hęc è cõiectura nostra nõ arbitraria, sed certa lectio: *quà rupes sederat.* hoc est vbi leniore fastigio erat submissa, quomodo paulò antè locutus, in ipsa descriptione: *Prærupta rupes erat, quà spectat Occidẽtem: eadem, qua vergit ad Orientem, leniore submissa fastigio multis arboribus obsita.* Ecce, quà rupes humilior, arbores ad manum, quas ex illas cũ saxis pariter intercludendo aditu moliebantur.

P. 156. *Ac primò repurgari iubet quidquid ingredi possent: deinde vt occurrebant inuiæ cotes præruptæq; rupes, irritus labor videbatur, obstante natura.*

Vulgò *repugnari*, & *quacunq;*, & *posset*. Dicam quod sentio. Non mihi totus hic locus satisfacit: quem & vereor vt satis integrum habeamus.

Certè ante eũ deesse videtur nescio quid, quo significet ad obsidendam Artacaenam, quæ Artacoana Arriano, Diodoro Chortacana, Craterum missum. Nam paullò inferius ecce: *Hinc ad Craterum, qui Artacaenam obsidebat, redit.* Nisi enim & hîc disertè missum eò prædicat, intelligamus apud regem in oppugnatione rupis hæsisse, in cuius obsidionem anteà fuerat relictus. Hoc igitur omissum turbare & sequētia potuit, vt nec verba nunc fortassis omnia, nec sententia compareat satis expedita.

Ibid. *Varia igitur cæde consumpti sunt. Alij in medios ignes, alij in petras præcipitauere, quidā manibus hostium se obtulerunt, pauci semiustulati venêre in potestatem.*

Minus propriè *cædem* dixerit omnia hæc genera mortis. Scribo, *Varia igitur clade cōsumti sunt.* Et id verum mihi sanè liquet.

Pag. 157. *Ab hac vrbe digresso supplementum nouorum militum occurrit. Zolus D. equites ex Græcia adduxerat, tria millia ex Illyrico Antipater miserat. Thessali equites centum & triginta cum Philippo erant. Ex Lydia duo millia & DC. peregrinus miles aduenerant. CCC. equites gentis eiusdem sequebantur.*

Diu me & acriter hic locus torsit: neq; dum inueni, in quo penitus acquiescam. Primùm offendebar, quòd ait *peregrinus miles*, & mox, *gentis eiusdē.* Cur gentem ipsam nō nominauit? Offendebar & ibidē hoc quòd cū *miles* dixisset, *equites* subiungit. An equites ergo nō sub nomine militum?

litum? sunt verò:sed noster etiam aliàs equitem à milite discernit, vt hũc de pedite magis capiat. Ita paullò superius: *Amicos verò & equites, cumq; his principes militum aspernantes quidem, sed recusare non ausos Persicis onerauerat vestibus.* Et inferius: *Iam ad omnes aditus dispositi milites: equites itinera quoq; obsidere iussi, ne quis ad Parmenionẽ occultus euaderet.* Sic enim legendum omninò ibi cum vulgatis, etsi Mss. Modij vocem *milites* non habebant. Et lib. 10. *Intra id spacium armati omnes starent, hinc milites, hinc equites, illinc phalanx.* Hoc igitur planum: alterum de nomine gentis omisso, leue. Sed illis quid faciemus? *Thessali equites centum & triginta cum Philippo erant.* Quid enim sibi volũt? Scimus equitibus Thessalis præpositum Philippum. E multis id locis constat, ex isto lib. 4. maximè: *Hos Thessali equites claudebãt Philippo duce.* Quid autem hoc ad milites nouos, qui nunc primum aduenisse memorãtur? An is sensus in hoc loco, Philippum è Thessalia recentes hos centum & triginta adduxisse? Sic videtur. At inquit, *Erãt cum Philippo*: nec mentio vsquam, si memini satis, ab Alexandro Philippum digressum. Ita verba magis hoc innuerint, ex omni Thessali equitatus numero centum & triginta iam saltẽ Philippo superfuisse: reliquos scilicet variis superioribus præliis absumtos. At q̃d hoc dici attinebat isto loco? Importunè inferat enumerationi supplementi, nisi aliud præterea addat. Quòd si is sensus, addidisse profectò mihi aliquid videtur, & videor id ipsum hîc videre, sed diuulsum à prio-

ribus & traiectũ. Liceat enim coniicere, in hanc ſententiam ſic illa cohæſiſſe: *Theſſali equites centum & triginta cum Philippo erant*: CCC. *equites* (poſſis & debeas *equites* hic omittere) *gentis eiuſdem ſequebantur.* Id enim nunc dicat: Equitatum Theſſalum, qui cum Philippo, ad centum & triginta recidiſſe: his in ſubſidium & ſupplementum veniſſe nouos Theſſalos trecentos. Sed hæreo adhuc ego de interpretatione verborũ priorum: quorum ſi iſta vera; de traductione rectè. Quo firmem, non habeo, & facilius inuenerit alius, quo infirmet. Si tamen aliquid in re; quæ traduximus & coniunximus, iis vel præponi vel poſtponi debebunt interiecta adhuc iſta: *Ex Lydia duo millia & DC. peregrinus miles aduenerant.* Rogo conſiderent alij diligentius, & vel hæſitãtem me confirment ſine mea laude, vel refellant errantem ſine mea fraude. modicè ac modeſtè fieri vtrumque volo, alterum certè ſine calumnia, quam non feremus, & ſperamus

ἄνδρ᾽ ἀπαράσσεσθαι, ὅς τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Pugnandi ſanè cum nemine mihi lubido, naturâ ac diſciplinâ facto ad quietem: ſi quis tamen impudenter & procaciter laceſſet, ita veniam animatus & armatus, vt temeritatis eum ſuæ citius pœnitcat, quàm me audentiæ meæ. Benè ſi quid monemus, vtilitati tuæ, lector, haud laudi noſtræ ſtudemus: malè ſi quid etiam aliquando, te ſcilicet æquum eſt ignoſcere, ſi tamen videbor, quod ſpero,

ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ᾽ ἀπωθεῖσθαι ψόγον.

Ibid.

Ibid. *Hac manu adiecta Drancas peruenit.*

Siue potius *Drangas*, vt vulgatę editiones. Diodor. τὴν Δραγγίνην.

Ibid. *Iam nonum diem statiua erant, cum externa vi non tutus modo rex, sed inuictus, intestino facinore petebatur.*

Nescio quid monstri alit vulgatum *interritus*, pro *tutus*, quod in scriptis. Sed & hoc transponendum videatur sic potius: *externa vi non inuictus modò rex, sed tutus.* Ita sensus enim velit, etsi de verborum ordine scio auctores aliquando ita variare. Ait, non modò nunquam victum externo tali scelere, sed nec vnquam, reapse nimirum, attentatum, quo tūc domestico sit petitus. Quid autem, si ex vtraque lectione conglutinatis ipsis binis vocibus vnam facias? Haud equidem difficulter ex *interritus* & *tutus*, fiat *intentatus*. Calidum hoc est, & sit fortasse nimis callidum: valdè tamen suspicioni fauet & literarum in hanc vocem tacita conspiratio, & magis ipsa sententia: quæ omninò vult, non inuictum modo regem externis insidiis, sed etiam prorsus intentatum. Quomodo vocabulum primo dissilierit, mox in diuersa literæ abierint, & nata denique sit ex librariorum hæsitantia diuersitas, in promptu erat ostendere, nisi nollem videri plus æquo cōiecturæ isti tribuere: & vident tamen omnes mediocriter in hoc studio versati.

Pag. 158. *Quibus iuuenis auditis, se verò fidem in parricidio dedisse constanter abnuit, nec vlla religione vt scelus tegeret, posse cogi.*

Non venustius tantum, sed & rectius sit, *in parricidium.* quomodo volo prorsus emendari.

Pag. 160. *Rex item quaerens an Philotam adisset, an institisset ei.*

Forsan *iterum.*

Pag. 165. *Nullius eorũ indicio Philotas particeps destinabatur.*

Quod vulgò est, *in participes sceleris destinabatur,* ferri possit, si *inter* emendes.

Ibid. *Tum rex, Qualis, inquit, ergo animi vobis videtur, qui huius rei delatum indicium id ipsum suppressit, quod nõ fuisse vanum Dymni exitus declarat? Incertam rem deferens tormenta nõ timuit. Ceballinus ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, vt cò, vbi lauabar, irrumperet. Philotas solus nihil timuit, nihil credidit.*

Quis ille, qui rem deferẽs incertam tormenta non timuisse dicitur? Addi nomen debuerat. nec potest verò capi de Philota: quod cum putaret Glareanus, intricauit se magis & locum, quàm expediuit. Etiam Modius hæret, cui obscurum oppidò locum esse penitus assentior; illud quoq; ferè, vt in membranis scribitur, ita legendum. Earum ista scriptura: *Incertam rem deferens tormenta non timuit Ceballinus. Ne momentum quidem,* &c. Ita quidem hercle distinguendum potius. Nam deferebat à fratre audita Ceballinus. At idem etiamne ad Alexandrum irrupit ipse cõmodùm lauantem? Id verò falsum. Non enim hic ipsi regi, sed Metroni cuidam indicium deferebat, qui rectà protinus Alexandro.

Huius

Huius omiſſum nomen, inſerendum rurſus, & omnia ſunt plana. Periit illud affinitate literarum, quæ excipiebant. Ita verò ſcribe nunc & interpunge: *Incertam rem deferens tormenta non timuit Ceballinus. Metron ne momentum quidem temporis distulit exonerare ſe, vt* (fortaſſe *quin* melius) *eò, vbi lauabat, irrūperet.* Ne dubites audi & recognoſce ſuperiora, quæ probant non modò, ſed flagitant, ſed expoſcunt: *Cæperat Ceballino eſſe*(Philotas) *ſuſpectus. itaq; non vltrà interpellandum ratus, nobili iuueni (Metroni erat nomen) ſuper armamentarium poſito, quod ſcelus pararetur indicat. Ille Ceballino in armamētario abſcondito protinus regi corpus forte curanti quid iudex detuliſſet oſtendit.* Satin' clarè, ſatin' ordine iſta Curtius? Ille quidem plenè omnia hæc & planè. Nam Arrianus breuiter nec adeò diſertè; Diodorus paullò diſertius ac prolixius; idem mutilè tamen ſępè, neq; hîc nomen exprimit eius, qui indicij Ceballini index. Vnū fuiſſe ex regiis pueris ait. Sed benè, quòd ex Curtio nobis & hoc, & alia conſtant, ne foris quęramus, cuius abundè eſt copia domi.

Pag. 168. *Ecquid videtis odio etiam ſermonis patrij Philotam teneri? Solus quippe faſtidit eū dicere.*

Non damno *eum*, malo tamen *eo*. Dicere eſt cauſam agere. Nolebat ſcilicet agere patrio ſermone.

Pag. 169. *Abeſt quidē optimus cauſæ meæ iudex, cum illi vtrinq; cognita cauſâ tam damnare me liceat, quàm abſoluere. Non cognitâ verò liberari ab abſente non poſſum, qui à præſente damnatus ſum.*

Quid ita Modius *vtrinq;* maluerit, quàm quod in excusis esse idem notat, *vtiq;*, non mehercule exputo. Vix illud interpretere vllo pacto vt quadret: hoc rei conuenientissimum omnibus modis. Nec ego iam quidquã dubito reponere, qui illud tamen dubito adhuc leuiter, an non & sequẽtia, quę τελείᾳ στιγμῇ nunc disiuncta, tenore vno continuanda: *cũ illi vtiq; cognitâ causâ tam damnare me liceat quam absoluere; non cognitâ verò liberari ab absente non possim, qui a. p. d. sum.*

Ibid. *Sed quamquam vincti hominis non superuacua solùm sed etiam inuisa defensio est, quæ iudicẽ non docere videtur, sed arguere: tamen vtcunq; licet dicere, memet ipse non deseram, nec commuttam, vt damnatus etiam mea sententia videar.*

Non arguta magis hæc quã vera lectio: quam tamen ita esse non potui persuadere cuidam, in aliam sententiam non minus equidem acutam, Curtio tamen alienam, transpositione & correctione non prorsus inepta, sed omninò superuacua, torquenti. Legi ille sic volebat, & debere pertendebat: *sed quamquam vincti hominis non inuisa solùm, sed etiam superuacua defensio est, qui iudicem non docere videtur, sed se arguere.* Nempe, aiebat, qui vinctus causam dicit, præiudicio vinculorum se magis ipsum arguit, quàm oratione iudicem instruit. Atq; hinc proximo libro Amyntas, vinculis solutus, eleganter: *sine præiudicio dicimus causam, liberis corporibus animisq;: habitum etiam in quo te comitari solemus reddidisti.* Aciem hominis vide: sed teneat ipse hoc, quamdiu volet, & amet suum

solus

ſolus ſine riuali: nobis hebetioribus acumẽ placet expreſſæ ſcripturæ, magis acre & penetrans & prorſus à mucrone ingenij Curtiani. Vincti hominis defenſionem liquet eſſe ſuperuacuam, vtpote iam damnati. eadem autem cur ſuiſa? non enim docere videtur iudicem, ſed arguere. quomodo tamen arguere? Vinctus reus, cùm ſe defendit, iudicem ſanè arguit & accuſat, à quo iniuſte damnatus vult videri. Damnati excuſatio iudicis eſt accuſatio. Et huic tantum ſenſui conueniunt, quæ in altero orationis membro: à quibus abhorret nimium quantum, imò cum quibus directò pugnat alterius, quem me dicere ſentio, noua lectio & interpretatio.

Ibid. *Nicomachus, quem taciturum arcana de ſemetipſo credebat, confeſſus, aliis nominatis me vnum ſubtrahebat.*

Olim per interrogationẽ efferenda mihi videbantur hæc: alia nunc mens attentius cõſideranti. Maius enim vitiũ, nec in diſtinctione tantũ, ſed ipſa ſcriptura. Vt Nicomachus ſubtraxiſſe Philotę nomen dicatur, ineptũ, neq; quidquam cohęret locus, ſi ſic amplius feramus. Vt aptè ex ſe apta omnia, ſic locũ integrum reſcribe: *Atqui cõiurationis caput me fuiſſe credit rex. Potuit ergo Dymnus eũ præterire, quem ſequebatur? Præſertim cùm quærenti ſocios vel falſo fuerim nominandus, quò facilius, qui tentabatur, poſſet impelli. Non enim detecto facinore nomẽ meũ præteriit, vt poſſet videri ſocio peperciſſe: ſed Nicomacho, quẽ taciturũ de ſemetipſo credebat confeſſus, aliis nominatis, me vnum ſubtrahebat. Quæſo cõmilitones, ſi Cebal-*

si Ceballinus non me adiſſet, &c. Ita Curtius, ita Philotas voluit: qui iſta ſcilicet, *vnum me ſubtrahebat*, per εἰρωνείαν.

Pag. 170. *Maligna eſt calamitas, & ferè noxius, cum ſuo ſupplicio crucietur, acquieſcit alieno.*

Vt verum ſenſum aſſequare, lege, *cruciatur*. Nam is iſte: Noxius dum ſupplicio ſuo torquetur, in alieno interim ſolamen habet & leuamē.

Ibid. *Graui ſopere acquieſcebam, cum me malis indormientem meis vinciendo excitauerunt. Vnde & parricidæ & proditori tam alti quies ſomni?*

Parum aut nihil ad rem vox *proditori*. An enim proditor Philotas? & ille verò quorum? ſui, an ſociorum? Si ad regem trahis, non prodere cogitabat hunc, ſed perdere. Minus ergo, quàm pro ſceleris grauitate. Quid autem tricor? egregiè hoc etiam emendamus, vnius ſyllabæ detractione: *Vnde & parricidæ & prodito tam alti quies ſomni?* Valdè ἐνεργητικῶς, & ex intimis affectibus Naturæ. Non cadit ſecuritas, & ſecuritas vſq; ad ſomnum, & ſomnum deniq; tam profundum, non hæc, inquam, cadit in parricidam, & parricidam quidem eum, qui ſe proditum iam ſciat & delatum. Hoc ex ſequētibus ita eluceſcit, vt qui non videat, nō luſcum oporteat eſſe, non luſcioſum, ſed plane cœcum, & ſupra omnia omninò exempla cœcitatis.

Ibid. *Sed ne te mihi credidiſſe pœniteat, res ad m deferebatur à puero, qui non teſtem, non pig indicij exhibere poterat, impleturus omnes me ſi cœpiſſet audiri.*

Iſto

Istud verò nō mutandum. Nam aliena mens, etsi non importuna: *Sed ne me tibi credidisse pœniteat*, tamquam præcisio sit, qua sermonem abrumpat de venia, quam antea rex dedisset. Verùm de fide reconciliatæ mihi gratiæ tuæ plura non dicam, ne credidisse tibi pœnitere videar. Ac præeunt huc ista, quæ proximè præeunt: *At mihi securitatem primū innocentia mea, deinde tua dextera obtulerat. Non timui, ne plus alienæ credulitati apud te liceret, quàm clementiæ tuæ.* in quibus & legēdum forte potius *attulerat*. Hoc autem etsi non absurdum, vt dixi, non tamen verum, & simplicissimus in excuso ille sensus: Ne te pœniteat excusanti tum mihi credidisse, siue ne temerè aut frustrà credidisse videaris, iterabo hîc excusationem apud Macedones, vt constet & his, meritò habitam mihi fidē, nec sine vera causa quæ audieram silentio me pressisse.

Pag. 171. *deniq; post delatum indicium, quo periturus eram, cubiculum regis solus intraui ferro quidem cinctus. Cur distuli facinus? an sine Dymno non sum ausus?*

Etiamsi bis dicetur idem, & quātumuis Modio non sinente, placet mihi tamen impensius vulgata lectio, quam reddo Curtio volenti: *Deniq; post delatum indicium, quid opperiturus eram? Cubiculum regis*, &c. suus cuique sensus, mihi meus: quem non pauciores, spero, quàm Modij sequentur.

Ibid. *Non mehercule ista me magis lædunt, quàm quòd Amyntas Perdiccæ filius insidiatus est regi:*

cum

cum quo quòd amicitia fuerit mihi non recuso defendere, si fratrem regis nō oportuit diligi à nobis.

Vix germana ista, *non recuso defendere.* Dicturus fuisse magis videtur, non defendam, non excusabo: vt negatio forsan expellenda sine qua fiat illa ferè sententia. Scilicet ita defendebat, quia cōstaret satis, omnibus omninò diligendū fuisse fratrē regis. quòd si is non fuerit; nullam inquit, defensionem se adhibiturum. Imò verò sic ait: aliam se veram & legitimam allaturum, nisi ista ipsa sit, quòd & iure amatus, & amandus necessariò fuerit ille. Atq; ea vera profectò sentētia, veris & sinceris verbis. Tamen in mentem veniebat, *non recuso defendere:* id est, satisfacere pro ea culpa, si culpa fuit. Haud inepte sanè, tamē hercle frustrà.

Ibid. *Sin autem in illo fortunæ gradu positum etiam venerari necesse erat, vtrum quæso, quòd non diuinaui, reus sum?*

ὕσκλον istud, *vtrum.* Emendo verissimè, *iterum.* Respicit ad illud prius: *At enim Dymnus se occidit. Num igitur facturum eum hoc diuinare potui?*

Pag. 172. *Scripsisse me hoc fateor regi, non de rege scripsisse. Non enim faciebam inuidiam, sed pro eo timebam.*

Nihil erat necesse geminare verbum *scripsisse* quod vulgati posteriore loco venustius omittunt. At sententia duplex potest esse. Ad regem scripsi, non ad alium de rege: quod si factum, inuidiam isse factum videri queam. Nunc quia ad ipsum, pro fama scilicet eius timuisse me & d

exiſtima

existimatione fuisse sollicitum apparet. Aliter paulò,&multo fortasse verius ita:scripsi regi,sed non vt regi,nec de rege,sed amico.Id pręcedentia requirere videntur: *Fides amicitiæ, veri consilij periculosa libertas, vos me decepistis, vos quæ sentiebam ne reticerem impulistis!*

Ibid. *Retinete me in vinculis, dum consulitur Hammon interim.*

Vulgatam lectionē reducturus,deprecor antè diras, quas non condignas satis imprecari se posse Modius ait illi, qui princeps eam cudisset. Mitte deuotiones tuas, nisi vis expetere in teipsum. Corrupta tu cēses ista? *Retinete me in vinculis,dum cōsulitur Hammon in arcanū & occultum scelus. Interim qui regem nostrum dignatus est filium,neminem eorū qui stirpi suæ insidiati sunt,latere patietur.* Vt censeres,quid mouit? *Interim* particula credo maximè: cuius tamen idē non inelegans vsus & apud alios sępe,& apud Senecam vnū frequentissimè. Sciunt,quiqui non duro nimis ingenio,aut memoria fluxa:quę mihi tamē ipsi non nunc ita cōstat,vt exempla in numerato habeā,quæ alioqui plurima notaui.Nam ista hîc ibidem,*in arcanū & occultum scelus*,glossam esse,vel quoquo modo irrepsisse temerè, nemo, nec Modius quidem ipse crediderit.Nimis honesta locutio,*Oraculū consulere in aliquid*: quæ facile absterrere quemuis poterat, ne vim inferret; me certè inuitauit & sic cepit, vt defendam ab alio illatam. Sed in hac tanta tumultuariæ pænè scriptionis propè ratione, serò in memoriam redeo loci Curtiani

ex quar-

ex quarto libro, quem illîc emendatum, hîc etiam tum emendandum destinabam. Scilicet in eo de particula *interim* suspicabamur, quæ si restitueretur, ita ferè vsurpata esset, vt hîc volumus vsurpatam. Verba sunt pag. 84. *Haud aliàs tam alacrem viderant regem, & vultu eius interrito, certam spem victoriæ augurabantur.* Inseruimus ibi tum præpositionem, *& ex vultu*: nunc hoc amplius, *interrito* illud mutandum censemus in *interim*. Nam de interrito vultu minus hîc quàm pro re: quippe in tanta regis alacritate, quantam haud aliàs in eo milites vidissent. Mihi valdè sic placeat: & spero non aliis item elegantibus ingeniis displiciturum.

Ibid. *Solent rei capitis adhibere vobis parentes. Duos fratres ego nuper amisi: patrem nec ostendere possum, nec inuocare audeo, quum & ipse tanti criminis reus sit.*

Nihili verbum in hac re, *adhibere*. Mihi liquet, *exhibere* corrigendum: cui respondet, quod hîc jam habes, *ostendere.* Sic & lib. 7. in simili pænè caussa: *Iussus est fratres suos exhibere admodum iuuenes & regi ignotos ob ætatem.* Nec in dissimili adeò, quamquam non eadem, suprà isto libro: *Res ad me deferebatur à puero, qui non testem, non pignus indicij exhibere poterat.* Ceterùm hîc an non adstrictè nimis scriptum, *solent exhibere parentes?* Non herclè verò parentes tantùm: sed omninò propinquiore cognatione reum contingentes: & statim subditur de ipsis fratribus. Vnam alteramque voculam puto periisse, quã coniecturâ quilibet facile reuocarit.

Pag. 173. *Et finem facio dicendi: quoniam vltima verba grauia sunt auribus.*

Omninò generalis hæc sententia, & optimè sic à Modio constituta: quam pessimè destruit iterum Lugdunensis quicumque est editor, & ad præsentem concionem adstringit, recepto in textum *vestris.* scilicet vtrumque suo more secutus editionum genus, ne alteri forte præiudicaret, & ipse verò medium (quod ille aiebat) vbique secaret. Nunc hinc, nunc illinc stat: vtrinque alternis causam dicit. Hîc Modio sedat, cum *visa* reiicit: cum *vestris* etiam tenet, vulgo gratificatur. Abi inepte, quò dignus es, nec arbitrum ingere te doctis, qui suo iudicio melius stabunt.

Pag. 174. *Ludibrio ei fuisse rusticos homines, Phrygasq; & Paphlagonas appellatos, qui non erubesceret Macedo natus homines linguæ suæ per interpretem audire.*

Vocula hîc etiam certò excidit, qua reposita fit totum elegantius: *Ludibrio ei fuisse se: rusticos homines, Phrygasq; & Paphlagonas appellatos.* Macedones suos etiam Philippus ioco noto rusticiores dicebat, qui scapham scapham appellarent: quò, si fortè, potuit alludi.

Pag. 176. *Amisimus regem, incidimus in superbiam.*

Non fortè, sed certo, sed omninò legendum vulgata iteratione: *Amisimus Alexandrum, amisimus regē.* sed has nō necessarias mutationes nec vacat omnes persequi, nec est sane hîc propositum nobis. Indignitas tamen rei sæpe cogit, vt

vindicem & retraham vel in transitu, quæ immeritò multa nimis in exsilium acta.

Pag. 177. *Cum Philotas circumlatis oculis, vt incideret in Calin quendam haud procul stantẽ, propius eum iussit accedere.*

Verbũ *incidere* vim propriè nõ eam habet, vt opera dedita quæratur, sed casu offeratur. Ideò malim hîc, *vt inciderat*, quod est, cum incidisset.

Pag. 178. *Omnes ergo à Nicomacho nominati more patrio, dato signo, saxis obruti sunt.*

Alium morem Arrianus ingerit, qui nõ saxis ait obrutos, sed confossos telis, siue κατακοντισθῆναι: quod sequenti quidem libro apud nostrũ Lyncesti Alexandro euenit: etsi & ibidem in Polemonem saxa moliuntur, suo quidem, vt iterum addit, more. De cetero, cauillari Curtium hîc & insimulare negligentiæ possis, qui dicat à Nicomacho nominatos omnes supplicio affectos. Id verò falsum, ac duplici quidem modo. Nec enim illi omnes, neq; rursus ij tantũ. Primùm non omnes. Impunis enim Amyntas, qui superius & ipse à Dymno inter cõscios Nicomacho detectus. Et verisimile, quotquot ab illo Nicomachus hic acceperat, eorũ neminem subtraxisse, vt nec addidisse quemquã, de quo alter forte tacuisset. Ille autem suprà: *Simul gratulatur quod fortissimus iuuenum non dubitasset se adiungere Demetrio corporis custodi, Peucolao, Nicanori. Adiicit his Aphebetum, Loceum, Diogenem, Archepolim, Amyntam.* Hic postremus certè libro deincipe causam pro se dicit, & absoluitur. Ac suspicari

cari liceat, præter hunc alios etiam fortasse nõnullos iudiciũ ac supplicium effugisse: de quibus quidquid sit, Amyntas certè palàm nõ vna interemtus. Non igitur omnes prorsus, qui à Nicomacho nominati. Iam neque illi tantum. Nam etiam Philotas ipse & Calis: quos manifestum itẽ est ab indice nequaquam nominatos. Quid verbis igitur istis ancipitibus faciemus? Excidisse Curtio imprudenti ipsi credemus, an fraudẽ hanc ei librarios frausos? Huc inclinem magis: at emendationẽ quam opportunam inueniemus? Audacia magna vtendum sit: quam ego huiusmodi vix mihi permiserim, *à Macedonibus damnati.* Mos quidẽ ille Macedonum vetustus, vt ipsorũ cognitio esset, quem & noster ipse nos docuit hoc libro: *De capitalibus rebus vetusto Macedonũ modo inquirebat exercitus: in pace erat vulgi. Nihil potestas regum valebat, nisi prius valuisset* (nescio quid occulti hîc mendi) *auctoritas.* Itaq; & Alexãder *Macedones* inquit *de te iudicaturi sunt:* & ipsi *Macedones Philotam inquinare innoxios velle suspicabantur.* Sed vtcunque hoc firmemus, à recepta lectione nimium recedit. An ergo potius? *Omnes ergo etsi à Nicomacho non nominati.* Sic omnem facillimè eludamus obiectionem, neque Curtium tamen scripsisse sic facile probemus. Alij viderint hoc. ad reliqua nos properamus.

Ibid. *Dum inficiatus est facinus, crudeliter torqueri videbatur: post confessionem Philotas ne amicorum quidem misericordiam meruit.*

Hîc verò dele vocem *Philotas*, quæ tam manifesta temerariæ glossæ, vt mirum sit haud etiam pridem deprehensam. Curtius quidem si addidisset, non eo quo nunc est loco, sed initio statim posuisset. Sed nec addidit, nec opus fuit, cum in medio, non alium quàm Philotam designari.

VALEN-


VALENTIS ACIDALII

IN Q. CVRTII LIbrum VII.

ANIMADVERSIONES.

AD

IACOBVM MONAVIVM virum nobiliss. IC. & patritium Vratislauiens.



D te quoque itur, Monaui CL. non quia nemini obtrudi poßit, sed quòd nemini magis volo. Quid enim? ego te tacitus hîc omittam? Absit, neq. Dÿ sirint, vt hoc tantũ in me admittam scelus. Ita enim sentio, ita loquor: scelus, ac planè nefas, honorem tibi non habere, qui tot nominibus debetur. Vt priuata mittam mea, quot publica sunt nomina, quibus obstricti omnes tibi sumus, qui literas & harum quodcunq. genus tractamus? Est animus, si sint vires, explicandi omnia hîc & velut profitendi. Quorsum autem, si nec vires absint? Nemo est omnium, qui, quantum debeat, vel nesciat vel neget. Ad hoc neq. tu cõmemorationem tuleris, grauem pudori tuo: qui nec benefacis quidquam, vt au-

dias benè, sed vt feceris, & in ipsa sola cõscientia mercedem vnam tibi statuis, aliorum securus præmiorum, quæ vltro tamen ambiunt non affectantẽ & nec respicientem consequuntur. Inter hæc nescio si numerare potes aut debes hoc etiam scripti genus, quod honori nominis tui offerimus & venerabundi velut consecramus. Tu quo loco habeas videris: ego quantumuis leui donario isto macto te, cuius nomen vt numen à puero obseruaui, nunc magis ipsum te veneror, postquam nosse magis cœpi. Nam famæ credebam equidẽ anteà, cui fidem nunquam abrogo de viris magnis: sed hanc superasti tu profectò apud me, qui præsens & agnoui quæ prædicasset illa, & quæ prædicari ego quidem nec audieram cognoui. Rarum hoc & insolitum ferè prorsus, certè non ex vulgi dictis, quæ in maius omnia tradi à fama & credi, tum præsentiâ minui eam affirmant: verum tamen omnino: nec ego frontis huius aut oris, vt simulare vultu aut verbo possim, quod in interiore animo non sentiam. nec ausus eram eloqui hoc ipsum, nisi euenisse aliis idem non crederem modò, sed scirem. Ego ita sum felix, vt felicem me iudico, quia vidi te, quia noui. quid me censes? nonne beatum videri mihi quòd amicitiam tuã adeptus? quid

autem

autem deniq; quanti illud faciam, aut propter illud quem me faciam quòd amicitia ipsa frui familiariter mihi datum? Ne mihi quidquam credideris, Monaui, nisi id ipsum inter causas præcipuas reditus huc mei & mansionis in hac vrbe: quam vt sedem nunc otio & studiis meis legerem non hortabatur tantùm perpetui ius contubernij cum amicissimo meo, cognato tuo, CL. V. D. Bucretio, sed suadebat etiam virorum hîc doctorum tanta copia, quantam alibi vix inueniam, & horundem insignis humanitas, cuius gustũ in transitu percepissem, tum cupiditas impellebat tui quoque mirifica quidem illa cupiditas: quam ex consuetudine paucorum dierum ita profundè hauseram, vt à meis non ægro, quod mireris, animo tam repente rursum auellerer, ne à vobis ægerrimo diutius abessem. Redij igitur auidè, nec me pœnitet: ab omnibus abundè satisfit exspectationi meæ, & tu verò spei sic respondes, vt omni genere comitatis æques, excedas multa etiam benignitate. Sed in laudes & has & alias tuas nolo hîc diffundi. Vt gratum aliquo pacto me videas, hanc tibi nunc partem Curtianarum Animaduersionum offero, quam boni consules, dum maiora aliquando & plura possim. Tenue munusculũ est, quod æstimabis ab ani-

mo meo potius quàm ab ipso. quamquam & de ipso existimare te volo & iudicare. Prorsus hoc inquam volo. nam ipsum iudicio tuo magis eget, quàm tu munere ullo. Nec doni te reuerentia moueat, quo minus seriũ iudicem agas. Ego sic habebo: quò censura tua fuerit acrior, eo impensius tibi placuisse. Vtut autem placere istuc poterit, animum hunc tui obseruantissimum & addictissimam tibi voluntatem placituram omnino confido, quam lubens amplecteris & valebis ô meum, ô vrbis huius, imò regionis, imo Europæ totius illustre sidus & præclarum ornamentum.

VAL.

AD Q. CVRTII LIbrum VII. Animaduerſ.



VLTIS omninò reprehenſionibus obnoxium eſt genus hoc ſiue ſtudij, ſiue artis emendandi veteres ſcriptores, quam Criticem appellant. Has refellere prorſus hic quidem locus non patitur, & cum alij iam pridem fecerunt in parte, tum nos fortaſſis alibi copiosè & ad plenum ita præſtabimus, vt & immeritò inuiſos vtiliſſimos labores, & amore, laude, dignitate etiam aliqua digniſſimos euidenter ab omnibus intelligatur. Nunc cõmittere tamẽ haud poſſum, quin vni breuiter obiectioni reſpondeam, quam illi impingunt etiam nobis, qui aliàs minimè toti iſti generi iniqui. Modum tandem aliquem corrigendi fieri volũt, & quaſi perſanata iam vbiq; omnia, medicinam aiunt abſtinendam. Remediis enim laborari iam; ſic prorſus vt anteà morbis, & nimium quotidie multos exiſtere medicos, qui operam ſanis iam paſſim ac certatim etiam obtrudant. Hi quàm vellem verum dicerent! Sed vereor ego, ac dici verè vnquam poſſit, adeò nondum hodie poteſt. Vix cœptum benè hoc opus communibus eruditorum operis, quod integrũ nunquam exhibebitur, elaborari tamen quatenus poteſt, intra ſeculũ vix abſolua-

tur in magna etiam ingeniorum maximorum vbertate. Reuolue mihi paullisper animo, quid à seculis iam aliquot industria laboriosissimorum hominum præstitum. egregium illud quidem, & multũ: sed obsecro quantulum, si reliquum respiciamus, quod & nobis & posteris etiam exhauriendum? Id si fastidiosuli isti nõ vident, ignoscere possumus imprudentiæ; si vident, malignitati non possumus. At nõ vident profectò: iudicarent enim re cogente aliter, ac pauci omninò vident, quos esse quotidie pauciores ipse video, quàm timere sustinui vnquã, putare nunc quoq; & credere vix audeo. Nihil ego mihi sumo, nec possum quidquam, iuuenis ingenij exigui, doctrinæ vix vllius, & lectionis adhuc perpaucæ: sed hoc bonâ veniâ sumam mihi, quod non sumerẽ, nisi iure quodam meo viderer mihi posse, vt iudicem de toto Criticorum velut censu. Iudico autem ex iis quæ legi iam & noui, facioq; ex his coniecturam de reliquis, quæ neq; dũ planè noui fortasse nec legi. Iam lectitanti quotidie & noscitãti mihi sic necesse iudicare, lucis & nitoris vbiq; multum veteribus accessisse scriptis, tamen adhuc plus superesse macularum atq; tenebrarum. Quo me cunq; verto, sublata vitia quamplurima video, sed ibidem residere etiam plura animaduerto. Quod autẽ in his nunc est, quæ tractaui & tracto, non iniuria metuo, ne futurum idem sit in aliis, quò me nondum dedi. In his si quid olim proficere labore etiam nostro poterimus, videbimus,

debimus, quod non desperamus: in illis quid profecerimus, edemus & exhibebimus ordine deinceps, vt erit opportunũ: vires modò mihi sint & valetudo firma, quę tenuior est hac etiam adolescẽte adhuc ætate, quàm in aliis solet, qui meos annos alteris tantis & multo amplius excedant: tum si otium nõ desit, & alia adminicula adsint, sine quibus tentari nihil aut perfici potest. Verùm vt abundè ista iam omnia suppetant, exigua tamen in nobis spes exiguę opis: quam maiorem & solidam bonæ literæ ab aliis exspectant, quorum crescenti famæ iam nunc plaudimus & fauemus, ipsis læua numina deprecamur, & auertentia sacra Inuidiæ facimus ac Liuori. Hos tamen quàm olim magnos auguramur, vtinam eorum similes tam multos sit sperare! Vt nunc est, pauci nimis sunt, qui veteranis illis succrescant, & ni quos reclinaré aliquando Atlantes hi tutò satis queant Criticum istud cœlum, quod vnus & alter egregiè adhuc sustinent. qui si deficiant tandem, quod Musæ abesse longe velint, ac diu seruent seruatores suos, quid fore deinceps remur? Herculè barbariem iterum metuo, ni plures in tempore in hæc castra traducantur, sub hæc signa digerantur: quod vt fiat, duce, imò Ducibus opus est, qui intelligant, ab isto genere pendere decus & incolumitatem Literarum, qui præmiis, qui honoribus alliciant ac prouocent ingenia in hunc campum. Nunc non dignitas modò aut merces nulla, sed contemtus

ac pænè

ac pænè rei famæque diſpendium propoſitum, qui id ſtudium ſtadiumq; ingrediantur. Et mirabimur eſſe iam, & exiſtere in poſterum tam paucos? miremur iuſtius aliquos inueniri, qui contemto contemtu, qui ſpretis honoribus & lucris, amore ſolo ducti τοῦ καλοῦ audeāt decurrere in hoc Circo, vbi cum irriſu & exploſu ſpectatorū ſtudeant & deſudent nihilominus horum ipſorum non voluptati quidem, niſi quę è ludibrio ſui, ſed vtilitati. Verū ne lōgius à linea mea excidā, vbi iam ſunt illi, qui medicos tales eſſe nimis multos, qui ſuperuacuam aiebant omnem iam hanc medicinam? Pudeat imperitæ vocis, & agnito errore faueāt dehinc foueantq; literarum genus hoc & literatorū. Quòd iidem tamen modum flagitabant emendandi, ne nos quidē penitus improbamus, ſed ſentētiam eorum limamus & dexterè interpretamur. Quid autē iſti volunt? vniuerſumne illud quod criticum vocāt, renuunt & reſpuunt? Non debent. Verâ & legitimâ Critice nihil vtile, nihil neceſſarium magis in omni ſtudiorū parte: neq; Cenſura olim illa morū prӕſtantior, quàm hæc nunc ſcriptorū. Huius generis ἰατρῶν καὶ ἰάσεων nō nimium vnquam, ne ſat quidē poteſt eſſe. Nimiū morborum & morboſorum adhuc, vbi ritè obeant curationes. Si qui non obeunt ritè, ſi qui ſecant audacius & vrūt, ſi qui omnia ſollicitant, etiam ſana, & vlcera infligunt vltrò, vt vel ipſi alij habeant mox quod agant; iam illi ſcilicet non in horū numero, quos vero Criticorū nomine digna-

gnamur, neq; horũ culpę corruptorũ expeterē debēt in innoxia bonorum capita correctorũ. In omnibus artibus, etiam manuariis opificiis illegitimi sunt quidam fuci, propter quos non damnamus aut reiicimus artifices ipsos veros. Abusus cuiuscunq; rei, vulgò aiunt, nō infamat eius vsum: hîc quoq; idem valeat, & sine iniuria bonorũ malos reprobemus, absq; respectu malorum bonos agnoscamus. Quòd si, qui modũ Critices volunt, hoc volunt etiam, vt ne totum quis aut nimiũ ei sese dedat, ne prę ista negligat alia potiora: his quoque assentimus, & omninò seruire eã doctrinę studiis volumus, nō studiosis aut doctrinæ ipsi dominari. Sed hîc illud neminē decue[illegible], in aliena studia aut consilia nimis inquirere, deq; iis censorē agere liberiorē, quod in se & suis fieri nolit. Arbitramur relinquendũ iudicium cuiq; propriũ, vt ex suo modo modũ sibi faciat, cui & naturę suæ propēsio nota intimè, & vires optimè exploratæ, vt statuere de se solus rectè possit, quid vel aggrediatur, vel in eo quantũ progrediatur. Nec sibi verò quisquã deerit, vt mittamus ad nos nihil attinentem curam. Ego quidē de me videro, de se patiar alios. nō ero in hanc partem vlli censor, nolo quemquam mihi. Nũc hæc curo: quis scit: aut cuius refert, an hæc sola? Et vt ipse me omnibus indicē, cum alia tractarem, quæ norunt, qui me norunt, nō hæc tamen abieceram, neq; illa nunc item negligo, dum ago vel hæc ipsa. Placet mihi omnibus modis tēperare mea studia,

dia,

dia, quę non magis alienis deuoui vsibus, quàm meo fructui, & huic non postremo delectationis. Igitur ad Curtium nunc redeamus, in quo mihi certè prosum, dum animo obsequor; nec vt opinor, ipsi Curtio minus, & lectori eius, dũ opera mea vtrumq; iuuo, hũc, vt rectè legat, & intelligat; illum, vt rectè legatur & intelligatur.

P. 180. *Seq. mirantem, quòd non vice sua tali fungerentur offi.io, & ipsa trepidatione eorũ perterritũ.*

Leue dicent alij, quod dicam: sed sit interim, dum momenti in eo nõ nihil. Traiice voculam vnam: *quòd vice nõ sua.* Non leuissimum id dicet, qui momenti quãtum insit in negationum sede, non ignorat. Alexander mirabatur, non, quòd officio eo non fugerentur sua vice, sed quòd fungerentur vice non sua.

Pag. 181. *Sine præiudicio dicimus causam: liberis corporibus animisq; habitum etiam, in quo te comitari solemus, reddidisti.*

Sententiæ venustatem alia distinctione valdè iuueris, quæ debet esse hęc omninò: *Sine præiudicio dicimus causam, liberis corporibus animisque: habitum etiam i. q. t. c. s. reddidisti.*

Ibid. *Ceterùm etiam si militis tui vel in agmine deficientis & fatigati, vel in acie periclitantis, vel tabernaculo ægri & vulnera curantis, aliqua vox asperior esset accepta.*

Etsi nec scripti nec cusi libri aliter, legendum tamen *excepta.*

Pag. 181. & 182. *Militantum nec indignatio nec lætitia moderata est. Ad omnes affectus impetu rapimur,*

pimur,

pimur, vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur. Vtrunq; præsens mouit affectio, modò Indiam adire & Oceanum libet, modo coniugum & liberorum patriaq; memoria occurrit.

Concinnior interpunctio sit ad hoc exemplum: *Ad omnes affectus impetu rapimur. Vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur, vtcunq; præsens mouit affectio. Modo Indiam adire & Ocean.*

Pag. 182. *An non propemodum in tua verba tui omnes te praeunte iurauimus, eosdem nos inimicos amicosq; habituros esse quos tu haberes?*

Multis millibus hæc melior lectio præ ista quorundam librorum: *an nō propemodum tuo verberatu:* è qua ineptissima tamen affirmare pænè ausim in hac meliore etiamnum reliquam vocem *propemodū*, quæ delenda sit & abolenda, nisi mutanda verius, vt *pridem* rescribatur. Ego deleri malim, cui persuasum alienā atq; inde natam. Cum primùm non intellectum illud esset *in tua verba*, & corruptū in *tuo verberatu*, nimium id alicui & indignū visum, verberibus adactos ad iuramentum, eoq; vt mitigaret, eam vocem addidit: qua nunc reparatâ verâ lectione nihil opus. Si quis tamen aliter sentiet, non admodum pugnabo.

Ibid. *Proinde vt ad id reuertar, propter q reisumus.*

Emendandum *præuertar*. Non redibat ad id, sed accedere iam primū volebat, quod esset potius. In hoc autē significatu receptū illud verbi. lib. 6. *Ad verum crimen & ad vnum prauertendū mihi est.* Sic enim ibi rectè Modius, cū vulgò item *re-*

uertendum

uertendum Columellæ exemplum ille dat: vbiq; obuia plura:&habe tamen hîc etiam ista pauca. Tacit. Annal. 2. *Sed prauerti ad Armenios instantior cura fuit.* Plin.lib.5.epl.15. *In infinitū epistolam extendam, si gaudio meo indulgeam. Prauertor ad ea quæ me agentem hic nuntius deprehendit.* Apuleius Apolog. *Nunc tempus est ad epistolas Pudentillæ prauerti.*

Ibid. *Igitur si hoc crimen est paucos innocentes habes, imò hercule neminem. Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt, sed totidē quot volebant esse non poterant. Ita si à conſciis amicos non diuidis, nec ab amicis quidem separabis illos, qui idem esse voluerunt.*

Magnus vir tenuiter hic argutatur, & legendum ait: *sed totidem quot volebant esse non poterant. Ita. sed si à cōſciis amicos.* & id esse ex Amyntę mēte, quod facile visurū, qui ipse eam habeat. Ego nō habuero igitur, qui non video. Et illā tamen habere videor, & hoc certè video, contrà prorsus esse. Nihil inquā mutandū. Quid enim verbis sensuq; clarius sic & elegantius? Vtriusq; vtrūq; obscuraueris ac fœdaueris particulæ aduersantis insertione, & illa solitaria nescio cuiusmodi affirmatione. Valet hîc *ita*, ex eo cōsequitur, inde fit. Amicitia Philotæ si crimen est, pauci tuorū extra crimē, imò nemo. quippe idē in hac causa, fuisse amicum eius & esse voluisse. Iam omnes idē esse eodem studio affectarūt. Ita si conscios habes, qui amici, & necesse est eosdē habeas & qui nō amici. Et re & voluntate amici iidem si iidem & conscij; omnes ergo tui cōscij.

Variè sensum hunc efferre possis: in quo pulcra ingenij exercēdi occasio. Vsi ea nos sumus, & cum auctore velut certauimus, an rotundius possemus. Sed ascribere nostra omnia quorsum attinuerit? Nec ipsa tanti sunt, & si sint, quid ad Curtium? Malè etiam accipiantur à quibusdam: & hic ieiuna dixerit, ille plena ostentationis. Abstineo igitur, & se quemque ipsum iubeo experiri.

Pag. 184. *Sex millia Macedonum peditum, & DC. equites adduxi, quorum pars secutura me non erat, si militiam detrectantibus indulgere voluissem.*

Pugnat apertè numerus hic cum eo, qui dictus libr. 5. *Namq; Amyntas Andromenis ab Antipatro Macedonum peditum sex millia adduxit, D. praterea eiusdem generis equites.* Vides hìc sex millia & quingentos; in altero sexcentos. Addenda alicubi centenaria nota, aut detrahenda. Vtrum vtro loco verius, alij quęrant, & disputent: mihi non vacat: & vacaret tamen, si liberet.

Pag. 185. *Vos autem iuuenes malo beneficij mei obliuisci, quàm periculi vestri meminisse.*

Pulcrum, at difficile istuc. Libro autem 6. simillimus huic locus: *Suasissemus, si Philota velles ignoscere, paterere potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quàm vsq; ad mortis metum adductum cogeres* (hoc enim verbum statuo prorsus è vulgatis iterum inferendum) *sæpius de periculo suo, quàm de tuo cogitare beneficio.* Et egregiè hæc ibidem deducuntur: in quibus ista potissima ratio: *Quadam*

dam beneficia odimus: meruisse mortem confiteri pudet. Quibus ipsis pulchrè Seneca succinit, Medeâ:

Ingrata vita eſt, cuius accepta pudet.

Nec abludit tragœdus alter, si idem non est, Oedipo:

——Quisquis in culpa fuit,
Dimiſſus odit.

Verùm quid possim ego melius, quam si Plutarchi similem quendam in re simili locum adscripsero, quem tu quid possis iucundius, quàm si contenderis ad hunc Curtianum? *κελεύσας (ὁ Ὄθων) Μάριον Κέλσον ἀχθῆναι πρὸς αὐτὸν ἠσπάσατο καὶ διελέχθη φιλανθρώπως, καὶ παρεκέλευσε τῆς αἰτίας ἐπιλαθέσθαι μᾶλλον, ἢ τῆς ἀφέσεως μνημονεύειν.* Ex eo Curtianū quantilla mutatione interpreteris? *ὑμᾶς δε, νέοι, παρακαλῶ τῆς εὐεργεσίας ἐμῆς ἐπιλαθέσθαι μᾶλλον, ἢ τοῦ κινδύνου ὑμετέρου μνημονεύειν.*

Pag. 186. *Fiducia in ſollicitudinem versâ trepidare cœpit, ſæpius quæ nocere poſſent, quàm quibus eluderet, reputans.*

Aut sic legendum, aut certè *eluderet*, ait Modius. Nescio & ipse, vtrum verius: sed nec, an alterum adeò verum, scio. Nec desum è vulgato *illuderet*, suspicari potius *fideret*. sententia quidem magis hoc requirit, quàm vtrumuis Modianum.

Ibid. *Ad Parmenionem quoq; epiſtolas feres, vnam à me, alteram Philotæ nomine ſcriptam. Signum annuli eius in mea poteſtate eſt. Si pater credet à*

det à filio impressum, cũ te viderit, nihil metuet.

Hoc à Modio : vulgus, *sic pater credens à filio impressum.* Mihi vtroq; magis arridebat: *Signum annuli eius in mea potestate est. Pater credet à filio impressum: sic cum te viderit, nihil metuet.*

Ibid. *Et priusquam ipsius nuntiaretur aduentus, rursus Polydamas vestem Macedoniam sumit & in tabernaculum Cleandri quarta vigilia peruenit.*

Abundare censeam nomen Polydamantis, quod addi nihil necesse, cum de alio nemine agatur. Venustior omninò sermo, si deleatur.

Pag. 187. *Redditis deinde literis, constituerunt prima luce ad Parmenionem coire. Nam ceteri quoque, quibus literas regis attulerat, ad eum venturi erant.*

Concinna hæc sic satis: inepta vulgata: *Namque ceteris quoque literas regis attulerat. Iam ad eum venturi erant, cum Parmenioni.* Ex quibus tamen hoc suspicor, permutatione locorum *Tiam* & *cum* legi potius debere: *Nam ceteri quoq;, quibus literas regis attulerat, tum ad eum venturi erant. Iam Parmenioni Polydamanta venisse nuntiatum erat, qui dum lætatur* &c.

Pag. 189. *Et qui forte tædium laboris per literas erant questi, hanc seorsum cohortem à ceteris tendere ignominiæ caussa iubet.*

Vereor ne alterum orationi membrum desit. Duo enim genera eorum, qui secreti in hãc cohortem: non ij tantum, quorum anteà literę querulæ exceptæ, sed & præter hos alij non-

 nulli,

neq; longe hinc siti, vbi omnia ista superiora gesta. Gesta autem in *Drangis*, vt Curtius ait; vt Diodorus, in *Drangina terra*; vt Arrianus, in *Zarangais*: sed hic non dubiè corruptus, quem facile corrigas, *Drangais*. sed an *Ariorum* igitur in Curtio reponemus? Videatur ex Arriano. qui ait: Σατράπην δὲ Αρείων ἀπέδειξεν Αρσάκην, ἄνδρα Πέρσην, αὐτὸς δὲ σὺν τοῖς ἀμφὶ Κρατερὸν ὑπολελειμμένοις, ὁμοῦ ἤσιν, ἤδη ὡς ἐπὶ τὴν Ζαραγγαίων χώραν ἦγε. Sed temporis ratio turbat, vt vides: qua tamen non valdè turber, qui scio non exactè sem per ipsam subduci ab his scriptoribus, vt quod hic prius, alter posterius factum dicat. Nec rursus tamen desim inclinare, huius ipsius regionis, in qua tum erat Alexander, Satrapen aliquem dici constitutum. Quod si tu quoque lector potius credis, arbitrio tuo facies vel *Drangarum*, vel *Drangaeorum*, vel *Dranginorum*. Diodorus huc vocet: Ἀπὸ δὲ τούτων γενόμενος, καὶ τὰ κατὰ τὴν Δραγγίνην καταστήσας, ἀνέζευξε μετὰ τῆς δυνάμεως ἐπὶ τοὺς πρότερον μὲν Αριμάσπους, νῦν δ' εὐεργέτας ὀνομαζομένους.

Ibid. *Cognoscit Satibarzanem, qui ad Bessum defecerat, cum equitum manu irrupisse rursus in Arieos.*

Operæ errarunt, an editor παρεώρα? vulgati quidem etiam sic omnes. At traiectis literis debebat, *Areios* siue *Arios*, quomodo semper alias in Curtio. Græcè Αρείους.

Pag. 190. *Ipse rex nationem ne finitimis quidem satis notam, quippe nullo commercio volentem*

mutuos vsus cum exercitu intrauit.

Locutionem hanc quis damnet? ac nescio tamen, si *volentem* scripsit Curtius, an non omissurus illa fuit, *mutuos vsus*. Sallustius, Tacitus, aliiq; maluissent scio, apud quos crebrum, *volentem esse alicui rei*. Nec absurda coniectura, si delenda quis ista suspicetur. Mihi tamen id nemo persuadeat, nec ego vlli velim. Illud credo potius, ac credent facile mecum omnes, pro *volentem*, *colentem* reponendum.

Pag. 191. *Multos examinauit rigor; insolitos niuis, multorum adussit pedes plurimorum oculis præcipue perniciabilis fuit.*

Neque hîc caussam ineo, cur maluerit ita Modius, qui fatetur idem nō malè vulgò quoque scribi: *Multos examinauit rigor insolitus niuis.* Ita verò non tantum non malè, sed optimè: vt ipse edidit, profectò pessimè. Quomodo enim insolens niuis miles Alexandri? Puero turpe credere: quid viro, dicere? Niuis ibi potius ipsius inusitatus rigor: quod præcedentia satis clamant: *Ceterùm adeò altæ niues premunt terram gelu & perpetuo panè rigore constrictæ, vt ne auium quidem, feræue vllius vestigium exstat.* Quod sequitur: *Fatigati quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant,* &c. in eo nihil loci habet *quippe*, & legerim *fatigatiq; in ipso*.

Ibid. *Nunc ad prima signa, nunc in medium, nunc in vltimo agmine itineris multiplicato labore aderat.*

Potius alicui sit, *in medio*. nam cur non eodem

dem flexu addat *in vltimum*? Mihi vt obſcurum, cur hoc noluerit, ita clarum, illud maluiſſe. Sic & lib 5. *Itaq; ipſi in medium Perſarum vndique circumfuſi egregiè ſe tuebantur*. Et delectatur alias eâ formâ. lib. 6. *Atq; vt primum rex in conſpectum fuit, equo ipſa deſiluit*. Iterum lib. 3. *Quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nuntiabatur*. Quæ nec Ciceroni infrequens, ad Attic. lib. 15. ep. 4. *Vt certior fieret, quo die in Tuſculanum eſſem futurus.*

Ibid. *Simul & qui conſequi non poterant, in illa caſtra venerunt.*

Hic quoque *potuerant*: quod ſuprà alicubi monuimus, aliquoties reponendum.

Pag. 192. *At Beſſus Alexandri celeritate perterritus diis patriis ſacrificio rite facto, ſicut illis gentibus mos eſt, cum amicis ducibusque copiarum inter epulas de bello conſultabat.*

Fluctuant iſta verba, *ſicut illis gentibus mos eſt*, nec ſatis ſcias ad præcedentia referenda, an ſequentia. Ad illa meo animo nō debent: ad hæc debent, ſed non hoc tantùm. Transponi enim etiam velim, ne quid ambiguitatis relinquatur: *dijs patrijs ſacrificio ritè facto, cum amicis ducibusque copiarum inter epulas ſicut illis gẽtibus mos eſt, de bello conſultabat*. Nam hunc morem deſignat, in conuiuiis & compotationibus deliberandi: qui Perſis pręter ceteras gentes familiaris, etſi non minus vſitarunt Germani olim noſtri, Tacito quidem auctore, ad quem vide, quid in hanc rem, antiquorum rituũ vnica fax Lipſius annotarit è Strabone, Ammiano, Athenæo,

 Homero,

ius amici,siue serui?Diodorus non *Cobarem* indigetat,sed *Bagodaram*.τινὰ τῶν ἑταίρων,inquit,ὄνομα Βαγωδάραν.Alij dispicient.

Pag.194. *In his audientium suspenderat exspectationem.*

Correxit ita Palmerius, Modius edidit. Ab vtroque nos dissentimus. Minore licentia fecerim:*In his audientis* (quod est,*audientes*) *suspenderat exspectatione sui*.Vide vulgatam lectionem: videbis ex eius vestigiis hanc eductam. Nam quid ego etiam dicam, quod ipse statim agnoscis, Latinum magis esse, suspendere aliquem exspectatione, quàm alicuius exspectationem?

Ibid. *Adeò exarsit, vt vix ab amicis, quo minus occideret eum (nam strinxerat quoque acinacem) vi contineretur.*

Modestè ait Modius inserui illud *vi*, ex membranis:non de meo violenter intrusi.Vtcunque est, furcillis ego vicissim præceps eiiciendum censeo.

Pag.198. *Ergo quidquid vini oleique erat,hominibus ingerebatur.*

Venustius absit *hominibus*: nec est forte nisi è glossa.

Ibid. *Graues deinde auido haustu humore, non sustinere arma,non ingredi poterant, & feliciores videbantur, quos aqua defecerat, cum ipsi sine modo infusam vomitu cogerentur egerere.*

Hic quidem non dubium,quin additamentum sit *aqua*.Non enim iam aquam, sed vinum

& oleum ingurgitarant. Dele, & mox *infusum* etiam scribe, vt *humorem* vtrobique capias. Ad finem fors fuat, an *regerere* scriptum auctori.

P. 199. *Nec postero die lætior erat, quia nec nauigia habebat, nec pons erigi poterat circumquaq; amnem, nudo solo, & materia maximè sterili.*

Distingue: *nec pons erigi poterat, circumquaque amnem nudo solo.* ita rectius construxeris, ceperis facilius, quaque circum amnem. Haud inèleganter, absque alio tamen apud Curtium exemplo, quem vix putem sic locutum. Et abest sanè *quaque* istud aliis libris omnibus, vt insertum sine ratione magis suspiceris. nisi forte aliter attemperanda illi reliqua, & legendum: *circumquaque amne nudo, & solo materiæ maximè sterili.* Nam & *amne* perscribitur alicubi: *materiæ* autem, vtro modo malis, omninò rescribendum. Supra: *Et quia sterilis est terra materiæ, nudo etiam montis dorso.*

Ibi. *Titulus facinoris speciosus præferebatur, vindicta Darij. Sed fortunam, non scelus oderant Bessi.*

Forsan vnitatis numero potius, *oderat*: vt de Spitamene solo capias, de quo voluisse solo Curtius videtur: etsi potes & de aliis simul, quos in societaté sceleris acceptos statim narrat. *Facinoris*, an *facinori* malis, hilum non interest, nec calamum vorterim aut manum.

Pag. 201. *Nec mora, quoque lucos sacros non cadunt modò sed & exstirpant, vt vasta solitudo, & sterilis humus excussis etiam radicibus linqueretur.*

Typo-

Typographicum hoc quoque mendum, nec amplius, opinabar: cùm in aliis reperi omnibus eodem scriptum modo, nisi quod particulam transponebant, *lucos quoq; sacros*: quod planè rectius, si reliqua scriptura recta: quam suspectam facit & hoc ipsum *quoque*, & magis illud, *nec mora*, ποιητικώτερον. Emendo verè: *Nemora quoque lucosque sacros non cadunt modò*: quod ita se probat ipsum, vt nec verbulo sit probandum.

Ibid. *Tandem vt deijcerent fundamenta murorum ab imo moliuntur, ne quod vrbis vestigium exstaret.*

Iterum glossema teneo, *vt deijcerent*: quo quid opus, cùm aliàs & sententia & oratio plena? Superfluit omninò hoc: quod tamen si glossa non est, vide an cum precedentibus leui correctione sic nectendum: *Illi inermes passim trucidantur, nec aut commercio linguæ aut supplicum velamentis precibusque inhiberi crudelitas potest: qui tandem vt deficerent, fundamenta murorum ab imo moliuntur, ne quod vrbis vestigium exstaret.* Cum homines crudelitati deficerent in tecta vrbis & mœnia, lucos denique & humum ipsam sæuierunt.

P.202. *Sed huius parricidij mercedem falso regis nomine persoluisti. Ibi ille facinus purgare non ausus, regis titulum se vsurpare dixit, vt gentem suā tradere ipsi posset: qui si cessasset, alium fuisse regnum occupaturum.*

Nihil procliuius fuerat emendare: *persoluisti tibi.*

situm, & illos quoque Scythas, qui super Bosphoro incolunt, viseret.

Bona, & si vis amplius optima lectio: nec hilo deterior alia tamen: *qui super Bosphorum colunt.* lib. 8. *Quem ad Scythas super Bosphorum colentes miserat.*

Ibid. *Condendæ vrbis sedem super ripam Tanais elegerat, claustrum etiam perdomitorum, & quos deinde adire decreuerat.*

Optimè Modius: quem leuiter in partem etiam iuuo, diuidens τὸ *etiam*, vt fiat, *& iam perdomitorum.*

Ibidem. *Coercendo qui nouauerant iussit accersi.*

Non omisit Curtius voculam *res*, quæ addita in vulgatis. lib. 10. *Ni occupetur impotens animus, res nouaturum*: ipso ibi Modio sic emendante. Sed ita sumus quidam, quod placuit modò, displicet; quod displicuit, mox placet: vtcunque se nouitatis aut raritatis aliquid specie cōmendat. Sæpe phrasi hac vsus Curtius, nunquam aliter, nisi vt iuncta suo verbo ea ipsa vox legatur. Ceterùm nec *mouerant* vsque adeò malum: quomodo idem tamen ait flagitiosissimè scribi.

Pag. 205. *Itaque Meleagrum & Perdiccam in obsidionem iungit, Cyropolin (vt ante dictum est) obsidentes.*

Hoc verò dictum antè non est. Vnus Craterus eò paullò antè mittebatur: *Alexander transfugarum defectione comperta, Craterum obsidere Cyropolin*

ropolin iubet. Oblitus ergo sui Curtius tam citò? an & illos cum hoc vnà fuisse intelligere debemus? Expressisset: ita neque dubitare nobis, neque ipsum reprehendere liceret. At Arrianus 4. libr. de solo item Cratero testatur, qui omnes omnium harum & plurium obsidiones vrbium dilucidius & magis ex ordine describit, quas intricatè quodammodo Curtius narrat & imperfectè, Diodorus autem præterit omninò.

Ibid. *Itaque captam vrbem diripere iussit delectos Macedonas haud iniuria infestos, & ad Meleagrum & Perdiccam redit.*

Forte *relictos*, pro *delectos*. At subesse aliud quid è membranis videtur, quas & Modius hic iure mònstri suspectas habet. Eæ legunt: *Itaque captam vrbem diripi iussit. deleta Macedones haud iniuria infestos, ad Meleagrum* &c. Fallor, an coniectura emendationem tetigi? Certè sub ictu habere videor: *Itaque captam vrbem diripi* (aut, *dirui*) *iussit. Deletâ, Memacenis haud iniuria infestus, ad Meleagrum & Perdiccam redit.* Cyropoli deletâ, in quam irâ magis, quàm iure sæuierat, ad Meleagrum & Perdiccam redit Memacenos obsidentes, quibus merito suo infestus erat ob interfectos equites, legatorum vicem à se præmissos, gentium iure violato. Hinc tamen illud sequatur, ipsum regem obsidioni & direptioni Cyropoleos præfuisse, quod ex reliqua narratione non apparet. Arrianus inter & præfuisse disertè scribit, atque ibi vulnus in ceruiceac-

ceaccepiſſe, quod ad hanc vrbem Curtius refert. Sed, vt antè dixi, & diſſentanea & intricata hæc tota Curtij narratio eſt: quod ante nos etiam Modius in parte obſeruauit.

P.207. *Vltima Aſiæ, quæ Bactra ſunt ſtringit.*

Malim *quà*. Reliqua facile ſic fero, vt à Modio conſtituta. Nam melius quod afferam non habeo.

Ibid. *Itaque qui poſt Darium victum ariolos & vates conſulere deſierat, rurſus ad ſuperſtitionẽ humanarum mentium ludibrio reuolutus, Ariſtandrum, cui credulitatem ſuam addixerat, explorare euentum rerum ſacrificiis iubet.*

Benè Modius *gentium* mutauit, quod in vulgatis malè. Idem *ludibria* & legi alias & poſſe legi ait. Aio & ego: ſed hoc amplius, debere. Quin amplius etiam ſubtimeſco, ne pro *humanarum*, ſcribendum fortè *vanarum*. Id ex loco ſuperiore: *Cobares natione Medus, ſed magicæ artis, ſi modo ars eſt, non vaniſsimi cuiuſque ludibrium, magis profeſsione quàm ſcientia celeber.* Vbi diuerſa tamen aliquantum ratio, quam video: nec pertendam in altero valdè ſuſpicari. In his autem verbis, quod monere conſultò diſtulimus in hunc locum, vide ne ſuperſit particula negãs, & coniunctim ſic legendum: *ſi modo ars eſt vaniſsimi cuiuſq; ludibrium.* Senſum vterque modus habet non ineptum: hic puto magis efficacem.

Pag.208. *Haud dubiè ſi omiſerimus Scythas vltro arma inferentes, contemti ad illos, qui defecerunt, reuertemur.*

Ita hæc Modius: vulgò, *aut dubia fortuna si omiserimus Scythas.* Ego aliud inde coniicio, quod spero me omnibus probaturum. Nihil deleo: distinctione solum mutata superioribus annecto initium horum: *Defecêre Bactriani in quorum ceruicibus stamus, & quantum in nobis animi sit, alieno Marte experiuntur, haud dubiâ fortunâ. Si omiserimus Scythas vltrò* &c. Et poteſtne quidquam elegantius? Alieno periculo experiri tutissimum: neq; fortunam belli extimescendam habent, qui tentant discrimine aliorum.

Pag. 210. *Rex iusso confidere felicitati suæ ait, alia sibi ad gloriam concedere Deos.*

Modius pro sua sapientia locum sic ait constituisse: cui malè tamen adhuc esse, quoniam pessimè fuerit, nec satis dum conditum vel ad publici saporis, vel eruditissimorum palatum. Est ita verò: sed ad gustum acriorem subtilioremque hominum delicatorum nos eum temperare non possumus, nisi è vulgaria damnata lectione vocem pro insipida derelictam condimenti vicem iterum accersamus, tum de nostro superaddamus aliquid, vnde suauis vsque adeo concinnetur locus, vt qui eum ita conditum & condîtum gustet, ipsus sibi digitos prærodat suos, vtque vel odorem eius Iuppiter ipse præ ambrosia quotidie cœnare malit. Verùm nugis omissis, exhibeamus re, quod verbis pollicemur. Vulgò est. *Rex iussum confidere felicitati suæ remisit. Sibi enim ad alia gloriam concedere Deos.* Reuocamus inde verbum *remisit,*

quod

quod neceſſarium. nam remittebat Ariſtandrum rex ad ſacrificium iterandum, ſi perlitari poſſet. Reliqua leuiter mutamus, & ſic ſcribimus: *Rex iuſſum confidere felicitati ſuæ remiſit: aliàs ſibi ad gloriam concedere Deos.* Alta & Alexandro digna ſententia, quæ hæc. Etiam aliàs mala omina & diſcrimina imminentia Deos auertiſſe in gloriæ ſuæ gratiam. Aliàs quoque Deos ipſa fata, ne gloriæ obſiſterent ſuæ, immutaſſe ſiue potius flexiſſe. Sæpe iam Deos ſibi cedere, ne gloriæ ſuæ curſus impediretur.

Ibid. *Qui comperto hoſtis aduentu, ne muris vrbis includeretur, ſimul fretus, excipi poſſe quem venturum ſciebat, conſedit occultus.*

Quid ni venturum ſciret? ineptè videtur hoc addi. Sed extra culpam Curtius, qui planè ſcripſit: *ſimul fretus excipi poſſe, quà venturum ſciebat, conſedit occultus.* In inſidiis conſedit illic, quà cognouerat aduenturum. Excipere verbum, itemque conſidere, ſubſidere, inſidere, & quæ ab iis manant, propriè inſidiis ſeruiunt omnia: quorum exempla nec è Curtio, nec aliunde libet hîc aceruare.

P. 211. *Hæc agentem anima defecit.*

Siue, *aientem.*

P. 212. *Admiſſi in tabernaculum, iuſſique conſidere in vultu regis defixerant oculos: credo quis magnitudine corporis animum æſtimantibus modicus haudquaquam fama par videbatur.*

Non *quis*, ſed *quia* præferunt vulgati, quod illi audacter ego præfero. Auctiores etiam iidẽ

vna voce, quam malè Modius omisit, etsi ipsam non bonam. Corrigenda fuit, non exturbanda. Legunt illi: *modicus animus haud quaquam famæ par videbatur.* Nos emendamus, *modicus habitus.* Ita barbari mox ipsi: *Si Dij habitum corporis tui auiditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet.* Ac probat maximè similis lib. 6. locus, non hac tamen adeò caussa, vt verbulum probet, quàm ob rei similitudinem ipsam adscribendus: *Interrito vultu regem Thalestris intuebatur, habitum eius haudquaquam rerum famæ parem oculis perlustrans: quippe omnibus barbaris in corporum maiestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est.*

Ibid. *Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam. Deinde si humanum genus omne superaueris, cum siluis, & niuibus, & fluminibus, ferisq; bestijs gesturus es bellum.*

Cogita, an non *Denique*, pro *Deinde*.

P. 213. *Nec seruire vlli possumus, nec imperare desideramus. Dona à nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, iugum boum, aratrum, & sagitta, & hasta, & patera. His vtimur & cum amicis & aduersus inimicos.*

An dona ab his Scythis Alexandro data, non memini è superioribus, nec sanè puto: illud certò scio, non ista quæ commemorant, data. Sed profectò de nulla donatione agitur: de bonis suis disputant Scythæ, quæ sola possideant, aliarum opum incuriosi. legendum ergo:

gò: *Bona nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores.* Meo periculo affirmo, veram hanc meam, meam autem dico? Curtij volebam, lectionem.

οὐδ' ἄρά τις νόον ἄλλος ἀμείνονα τοῦδε νοήσει·
οἷον ἐγὼ νοέω, ἠμὲν πάλαι, ἠδ' ἔτι καὶ νῦν?

De cetero, non ausim hîc quoque *iugum boum aratorum:* quia de aratro nihil subiicit. Sed nec subiicere opus erat.

Ibid. *Lydiam cepisti. Syriam occupasti. Persidem tenes. Bactrianos habes in potestate. Indos petisti. Iam etiam ad pecora nostra auaras & instabiles manus porrigis. Quid tibi diuitijs opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem, vt quò plura haberes, acrius quæ non habes cuperes.*

Et locus egregius, & egregia sapientia barbarorum: hęc multorum philosophorum sententias, ille plurimorum voluminum superans scripta: quem ægrè desino prolixius ac vel totum adscribere. Sed quorsum hic exponetur, qui apud auctorem ipsum promtus? In ijs, quæ attuli, videatur fortasse corrigendum, *auaras & insatiabiles manus:* nisi, quod certè puto, notare vtrumque voluerunt, & inexpletam & vagam rapacitatem Alexandri, qui nullo fine contentus, loco nullo constans, ex aliis alia subinde inuadat. Atque huc respiciunt eorundem superiora illa: *Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam.*

Ibid. *Transi modò Tanaim, scies, quàm latè pa-*

teant, numquam tamen consequeris Scythas Paupertas nostra velocior erit, quàm tuus exercitus, qui prædam tot nationum vehit.

Sententiæ ratio sic satis apparet: ὀιχονται, quod vereor, aliquot voces. Has suspicione reprehendo, si licere id mihi volent, qui in alios parci & seueri, suæ libidini quidl bet indulgent. Sed liceat mihi, nulla Curtij fraude, sic explere: *Transi modò Tanaim; scies quàm late pateat fuga. Insequere, nunquam tamen consequeris Scythas.*

P.214. *Vtrique imperio tuo finitimos hostes an amicos esse velis considera.*

Bina ergò imperia Alexandro? imò vnum omnium, quæ adierat. Et næ illi, si diuidere velit, non duo, sed nimio multo plura. Scriptura falsa, cui literula extrita vna, quam illi redonamus, & Alexandro pariter diuulsum imperium redintegramus. *Vtrinque* legendum pro *Vtrique*. Scythæ imperio eius vtrinque finitimi, ab Asia, ab Europa: quam vtramque incolunt omnium consensu Geographorum, & Curtij sæpè testimonio. Quomodo autem finitimi, ipsi præcedentibus his iam declararunt: *Ceterum nos Asiæ & Europæ custodes habebis. Bactra, nisi diuidat Tanaus contingimus. Vltra Tanaim & vsq; ad Thraciam colimus. Thraciæ Macedoniam coniunctam esse fama fert.* Neque tamen nescio, aut dissimulabo, ne videar nescire, duplex imperium tribui Alexandro posse, vnum Asiæ, alterum Europæ: vt vulgata lectio teneatur, in eundem inci-

incidens ſenſum, quē nouitia noſtra pariebat.

P.215. *Contrà rex fortuna ſua & conſiliis illorū ſe vſurum eſſe reſpondet. Nam & fortunam, cui confidat; & conſilium ſuadentium, ne quid temere & audacter faciat, ſecuturum.*

Attende, vt rectè capias. *Ne* particula non referenda tibi ad *audacter* pariter, vt ad *temerè*. Senſus iſte, diſtributis in ſua membra verbis: Secuturum ſe & conſilium eorum, ne quid temere; & fortunam ſuam, vt audacter faciat. Ac fortaſſis in hunc ſenſum ipſa planè verba in Curtio digerenda ſunt: quod quilibet nunc potuerit.

Pag. 220. *Et mei documenta vobis dedi, & veſtra habeo.*

Scribes, *veſtri.*

Pag. 221. *Illa vero miſerabilis erat facies, cum ij, quos inſtabilis gradus feſellerat, ex præcipiti deuoluerentur: mox eadem in ſe patienda alieni caſus oſtendebat exemplo.*

Diſtingue potius: *Illa vero miſ. e. facies: cum ij q. i g. f. e. p deuoluerentur, mox eadem i. ſ. p. a. c. oſtendebat exemplo.* Ac forte ſcribendum *exemplum.* Porrò ſimilis planè locus octauo libro, quem hic aſcribam ita quoque, vt diſtingui debet. Nam & is laborat eadem parte. *Multorum miſerabilis fuit caſus, quos ex prærupta rupe lapſos amnis præterfluens hauſit: triſte ſpectaculum etiam non periclitantibus. Cum verò alieno exitio, quid ipſis timendum foret admonerentur in metum miſericordia verſa, non exſtinctos ſed ſemet ipſos deflebant.*

Pag.223. *Ille quamquam verebatur, ne conspecta iuuenum paucitate deturbarent eos barbari: tamen & fortunæ suæ confisus, & Arimazi superbiæ infensus nullam se conditionem deditionis accipere respondit.*

Non sic aut scripsit Curtius, aut Cophes sensit. Quî enim suæ hic confideret fortunæ? partium suarum potius, & ipsius regis. Atque ita omnino lege: *tamen & fortunæ regis sui confisus.* Ita persæpè noster. lib.3. *Ignotum iter sine duce non audebat ingredi: felicitati tamen regis sui confisus, agrestes, qui duces itineris essent, excipi iussit.*

Ibid. *Artabazus in Petræ regionisque, quæ apposita esset ei, tutela relictus est.*

Melius, *quæ apposita est ei.*

VALEN-

VALENTIS ACIDALII IN Q. CVRTII LIBRVM VIII. ANIMADVERSIONES.

AD MARTINVM SCHILLINGIVM virum nobiliss. IC. & patritium Vratislau.


HIstoriarum & antiquitatis cognitio quantum & in gerendis rebus & in orbe illo studiorum absoluendo adiumenti ferat, in vulgus & à leuiter eruditis dubitari fortassis adhuc potest, & sanè dubitatur; apud solidè doctos neque dubitatum vnquam fuit, & dubitari nullo iam quidem modo potest à mediocriter etiam literatis, postquam è tenebris ac situ hæ quoq; cum aliis literæ in tam claram lucem splendoremque vindicatæ. Id ego diducerem & planum multis facerem, si dicere apud eum instituissem, qui vel dubitaret etiam ipse, vel rem minus intelligeret: quorum vterque idem sit, quando neque dubitare potest, nisi qui non intelligat, & qui non intelligat, eum dubitare prorsus est necesse. Nunc vbi te compello, Schillingi nobilissime, qui & rem omnem probè pernosti, & de ea iudicas ex ipsa, quomodo qui iudicat, cum verè iudicat, tum

iudicare solus dici potest neq; opus est, neq; decet me prolixius explicare: quod vetat etiam insuper pudor meus ac reuerentia tui, quem & in reliquis studiorum partibus, interq; eas non vltima Iurisprudentiæ, & in hoc præcipuè historico genere suspicio veneror q; ita, vt antiquitatem ipsam amo ac colo, cui mea quoque studia magnam partem consecraui. Quæ, fateor, ipsa studiorum non similitudo dicam, sed communitas, tum exinde affectus in te ille meus impulerunt me potissimum, vt cum in Curtio Alexandreæ historiæ luculentissimo scriptore quà emendando, quà illustrando post alios optime hic meritos operam nescio quàm & ipse posuissem, & hanc quamcumque statuissem tandem in lucē & manus eruditorum emittere, tibi quoq; partem eius aliquam destinarem, quæ nominatim inscripta tibi cultus & obseruantiæ in te meæ testimonium publice quoque perhiberet. Sed huc cùm illa me impellebant, quæ dixi, tum beneuolentia in me ipsum etiam tua magis incitabat, cuius eximia & certa, dum hic sum, neq; pauca, & per alios & ipse mihi ostendisti signa. Grata habeo illa omnia, & plura deinceps maioraq; polliceor mihi, nec ex te tantum, sed per te ex aliis porrò, quos mihi conciliabis, & in his fra-

trem

trem maximè tuum, Gothofredum, virum amplißimum, senatorem incluta Reip. huius integerrimum, & benè doctum ipsum, & de doctis non benè minus quàm de patria merentem: cui viro tam graui cum optarem etiam innotescere, non sum ausus hisce leuioribus obrepere: quod si non ingratum fore intellexero, fieri tamen aliàs poterit, cum vberior aliquando existet ingenij nostri prouentus. Interim hoc tu habe tenue libamentum: quod offero non tam eliciendi quæ sperare me dixi; quàm quæ percepisse iam sum fassus, aliquo modo remunerandi. Accipe volens, quidquid est: nec gratis idipsum tamen, vtcunq. munusculum videatur, sed redde pro eo iudicium de eo tuum: cui limatißimo certißimoq. si probari Animaduersiones istæ poterunt, aliorum censuras vel non morabor, vel has iudicio tuo congruentes exspectabo, vel denique dißimiles feram æquo animo, qui tuo me vnius illo, cui nitor vnicè, vnicè solabor. & hoc ipso tutum satis aduersus omnium calumnias omnes arbitrabor.

VAL. ACIDALII AD Q. CVRTII LIBRVM VIII. ANIMADVERSIONES.


Vi tam multa in scriptis veterum iam aliquoties restare menda dixi, metuo, ne quibusdam & dixisse nimium videar, & ineptiis meis plausisse. Quibus respondendum equidem est, sed breuiter, vt hic locus finit, Neque plus quàm pro vero dixisse, neque questum nimis esse me, illi intelligunt, qui versantur in eodem studio, & intelligere ex his poterunt, si volent, alij: nisi forsan & hos, vt suę caussæ seruiant, daturos aliquid nostræ verebuntur. Igitur ipsi potius vt sibi credant, quàm aliis, à quibus decipi sit periculum, iubeo ipsos operam hanc sibi nauare, ac quid in re sit, penitus indagare. Næ illi si recte vestigabunt, nimis esse verum me reperient, & tāto plus queri cogentur ipsi, vt præuaricatus etiam siue meæ, siue communi Criticorum caussæ videri queam. Sed rectè vectigare quotocuiq; datū? & vt hoc paucis datum, in his ipsis quotocuiq; vacat, quotocuiq; libet? Huc ergo reciditur, vt cum ipse sibi quisque videat, tum ab aliis osten di patiatur: quod & fit quotidie, & deinceps ita fiet, vt finis non sit futurus, nisi ingenia deficiant, aut diligentia relanguescat, aut studium hoc totum deseratur. Verùm, vt confido, pericu-

riculum non eſt, ne ſic porrò alij nos deſtituant, vt vani meritò habeamur: & ſi ſit, per me non ſtabit tamen, quin opera me ipſius mea, quod poſſum, tuear, & vt dixi, ita prorſus eſſe, in non paucis ſcriptoribus propediem demõſtrem. Quamquam ego profectò non tam ipſi mihi fido, nec induſtria mea conſecuturum tantum ſpero: ſed opera certe dabitur; vt aliquid conſequamur, & iam nunc conſecuti nõ nihil hic atque alibi videmur, vt in parte ſuſtinere iudicium illud noſtrum poſſimus, in progreſſu magis magiſque idem confirmaturi, fortaſſis & totum aliquando, maxima quidem ex parte, doctis plerisque (nam quis ſe ſperet aut poſtulet omnibus?) approbaturi. Nec plaudimus igitur ineptiis etiam noſtris, neque benignius de nobis ipſi ſentimus: quod tam abeſſe volumus, vt hærere ſuſpicionis eius vel tantulum nolimus. De me, deque meis, vt ſumus tenues, ita nunquam quisquam adeò tenuiter ſentiet, quin infra cenſuram eius ipſi nos longè demiſerimus, & poni in aliquo ſaltem numero ſatis habeamus. Hoc cum omnes mihi credere volo, tum vt credant, ita me geram, in ſcriptis quibuſcunq; dehinc meis, vt ſi minus de eruditione aliqua, de modeſtia certe & ingenui animi demiſſione magna vbiq; teſtentur. Ad Curtium interim redeamus, & hic probare pergamus etiam, non temere ſententiam nos pronuntiaſſe: quam leuiter hoc tamen, ad quem peruentum eſt, libro firmabimus.

mus. Admodum enim quam pauca in eum habemus, siue reliqua non multa fuerunt, siue plura nos haud vidimus, siue adeo visa non potuimus persanare. Vt opinor, omnia non præripuimus aliis, quibus & vberius forte post me relinquam spicilegium, quàm ipse feci post vberiusculam priorum messem.

Pag. 224. *Namque hostis in siluis, & forte erant campo iunctæ armatum militem condidit, paucis propellentibus pecora, vt improuidum ad insidias perduceret.*

Priora Modius rectè: ad finem imprudenter eiecit vocem, sine qua non constat integritas loci. Nos neq; hunc mutilum, neque illam diutius exulem patiemur, & reuocamus restituimusque ex edicto Vnde vi: *vt improuidum ad insidias præda perduceret.* In membranis ipsius omissa si fuit, erat ei facile videre, qua omitti potuerit occasione. Verbi scilicet vltimi *perduceret* syllabæ primores eam hauserunt: in quarum faucibus ita tamen adhuc latet, vt cōspici extrahique nullo negotio possit.

Ibid. *Ibi Berdes, quem ad Scythas super Bosphorum colentes miserat, cum legatis gentis occurrit.*

Diuersitatem in nomine notamus. *Berden* hic missum ait: suprà *Penidam* appellabat. lib. 7. *Ad eos Scythas qui Europam incolunt, Penidam quendam misit ex amicis.* Quam diuersitatem à corruptione, non dubium: dubium, vtro modo, vtro loco rescribendum. Idem enim nomen ex literarum quidem affinitate agnoscas. Nam

Berdes & *Penides* quantillum ſcriptura differũt, ſane ſi quis permutationes literarum nouerit è veteribus manu ſcriptis? E Diodoro nihil ad correctionem opis, qui ſilet: ex Arriano item nihil, qui non vnum, ſed aliquot ex amicis, nominato eorum nemine, miſſos ait vnà cum legatis Scytharum dimiſſis.

P.225. *inter quos cum leo magnitudinis rara ipſum regẽ inuaſurus incurreret; forte Lyſimachus, qui poſtea regnauit proximus Alexandro, venabulum obiicere feræ cœperat.*

Vitioſa diſtinctio, id eſt, puncŭli vnius omiſſio, ſenſum gignit à re prorſus alienum. Neque enim hoc vult dicere, proximum ab Alexandro regnaſſe, ſed in venatu proximum ſtetiſſe regi, qui poſteà regnarit, Lyſimachum, & hinc defendendo ei venabulum leoni obieciſſe. Virgula igitur interſtingues hæc verba: *qui poſtea regnauit, proximus Alexandro, venab.* quomodo nunc video diſertim exſtare in aliquibus vulgatis.

Ibid. *Ille quatuor millibus ferarum deiectis in eodem ſaltu, cum toto exercitu epulatus eſt.*

Iterum peccat interpunctio, quæ debet eſſe hæc: *deiectis, in eodem ſaltu cum t.e e eſt.* Sed obſerua non proculcatum vſum verbi *deiicere*: qui & lib.3. *Omnis ætatis ac memoriæ clariſſimum regem non in acie ſaltem nõ ab hoſte deiectum, ſed abluentem aqua corpus ereptum eſſe.*

Et apud Horat.

——milite nam tuo

Druſus

Drusus Gèraunos, implacidum genus,
Brennosq; veloces, & arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.

Pag.226. *Hellanice quæ Alexandrum educauerat, soror eius, haud secus quàm mater à rege diligebatur.*

Verum hoc sine controuersia nomē, quod in Arriano capite diminutum. *Lanicen* enim vocat, non ipsius puto, sed exscriptorum vitio: quod necdum ab aliis animaduersum, meo indicio emendetur. lib. 4. καὶ τὴν Κλείτου μὲν ἀδελφὴν, αὐτὸν δὲ ἀναθρεψαμένην, Λανίκην, τὴν Δρωπίδου παῖδα, ὡς καλὰ ἄρα αὐτῇ τροφεῖα ἀποτετικὼς εἴη ἀνδρωθεὶς. vbi pariter in Clyti nomine scripturæ diuersitatem notas, quæ & alibi in Arriano, tum Plutarcho simul & Diodoro perpetua ista per ει, non υ.

Pag.227. *Ceterum cum animo videretur imperaturus, si finem procaciter orto sermoni Clytus imponeret; nihil eorum omittente magis exasperabatur.*

Si me audis, scribe: *nihil eo remittente.*

Ibid. *Ad vltimum, si moriendum, inquit, est pro te; Clytus est primus. At victoriæ maius premium ferunt; qui procacissimè patris tui memoriæ illudunt.*

Membranæ: *At cum victoriæ arbitrium magis præcipuum fuerunt.* Vnde, inquit Modius, qui nostra meliorem lectionem eruet, hic erit mihi magnus Apollo. Apollo igitur ego, qui erui.

nam

nam magnus audire non affecto, cui satis, hinc Apollinem factum. Extra iocum, non tibi videor egregiè vestigia secutus eius scripturæ? *At cum victoriæ arbitrium* (vel, *arbitrum*) *agis, præcipuum ferunt præmium, qui procacißime patris tui memoriæ illudunt.* Ita mihi credas lector, ita faueas nouo vati, vt hæc verior omninò, non tãtùm melior lectio: de qua iudices tamen omnes cupio legitimos Apollinis veri mystas.

P.228. *Philippi milites spernis, oblitus, nisi hic Athanrias senex iuniores pugnam detrectantes reuocasset, adhuc nos circa Alicarnassum hæsuros fuisse.*

In hoc quoque nomine variatur. Ne de aliis dicam; in nostro *Adarchias* li.5. scribitur: *Primus omnium virtutis caussa donatus est Adarchias senior, qui omissum apud Alicarnassum à iunioribus prælium vnus maxime accenderat.* Sunt & alia consimilia his nomina, quæ nescio an vnius eadem omnia. li.7. initio *Aphrarias* quidam; li.6. *Atarras* alius nominatur: in quibus non abest quin confusio aliqua sit ac turba.

Ibid. *Dolorem tamen preßit; contentus iußisse, vt conuiuio excederet.*

Inclementer abiecerunt voculam *rex*, quã adiungi verbo sequenti æquius erat, vt *repreßit* scriberetur.

Ibid. *Atque illum cunctantẽ adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant, iniectis manibus iurgantes monentesque conabantur abducere.*

Nihil hîc iurgio loci: substituo *vrgentes*.

Pag.229. *Male humanis ingenijs natura consuluit,*

quòd

Apud hos *occumbere morti* memini: *mortem*, non recordor. *Oppetere, obire*, cum eo casu trita: cum eodem hoc verbum, duruis est omninò, neque facile Curtius vsurparit.

Pag. 232. *Præterfluebat torrens amnis, tergo petra claudebat.*

Benè alia Modius: vnum ei excidit. *Terga* relinquere debuit, vt non tergũ petræ, quo nihil ineptius, sed terga regionis accipiantur. Et tamen ipsa vulgata, *qui terga petræ claudebat*, nõ mala fortassis, imò & vera, si q̃ deinceps sunt cõsideras. *Ad petrã admouit exercitũ: ceterùm interueniebat fluuius coeũtib aquis ex superiore fastigio in vallem.*

P. 234. *Quam ægram fuga & noua subinde exsulia tolerantem in omne discrimen comitẽ trahebat.*

Damno hîc membranas, quod vellẽ sæpius Modium fecisse, ne tot locis sine caussa cusorum librorũ veras lectiones peruertisset. Hîc è vulgatis quamprimum repone: *Quam ægre fugam & noua subinde* &c.

P. 235. *Itaq; rursus vni ei deditus orare non destitit, vt tali consilio abstineret, pateretur quo sortem, quamcumque eis fortuna fecisset.*

Vulgò *his*. neutrũ Curtius voluit præ *ipsis*: si tamen hoc saltem voluit, neq; omnibus omissis sic potius scripsit: *quamcumque fortuna fecisset sibi. Mortem deditione esse leuiorem.* Neque tamen vel hoc affirmato.

P. 237. *Primus dies quietum iter præbuit. proximus ei nondũ quidẽ procellosus & tristis, obscurior tamẽ pristino, nõ sine minis crescẽtis mali præterijt.*

Non abnego pulcrè sic emẽdatum, si tamẽ è membranis magis quàm ex ingenio. Aliàs non temeraria vox *damno* sit, in qua lateat alia compendio scripturæ vitiata. Fortasse, *denunciatione*, vel *indicio*, vel quid tale. Lugdunensis editor iterum moro suo more vtrumque simul recepit: *non sine minis crescentis mali damno prætetijt.* Cucurbitas homo in tempore tibi adhibe. nam hæ certè minæ sunt crescentis insaniæ, quæ non sine damno optimorum auctorum præteribit.

Ibid. *Erat propè continuus cœli fragor, & passim cadentium fulminum species visebatur: attonitisq; auribus stupens agmen nec progredi, nec consīdere audebat.*

Aio & præsto legendum *consistere*. li. 7. *Itaque primum animi, deinde corpora deficere cœperũt. pigebat & consistere & progredi.*

Ibid. *Ac primum quidem armis suis tecti exceperant. sed & iam nec retinere arma lubrica rigentes manus poterant, nec ipsi destinare, in quam regionem obuerterent corpora, cùm vndique tempestatis violentia maior, quàm vitabatur occurreret.*

Leuis mutatio non leuiter ad sensum facit. Lego, *quà vitabatur.* Maior ingruebat vis tempestatis ab ea regione, in quamcunq; obuerterant corpora vitaturi. Etiam copula & nullius vsus ibi: *Sed & iam* Si lubet, dele.

Ibid. *Multiq; prius metu quàm labore defatigati prostrauerant humi corpora.*

A si-

A simili affectu illud lib. 7. *Aquarum penuria prius desperatione quàm desiderio bibendi sitim accendit.*

Pag. 238. *Fortè Macedo gregarius miles seq; & arma sustentans; tamen in castra peruenerat.*

Germana & ipse hæc esse statuo Curtij verba, sed nec etiam distinctionem. *Tamen* ad proximum *sustentans* referri, non ad *peruenerat*, vt nunc iubet interpunctio, debet. Etsi verius hoc ipsum *tamen* cum veteri distinctione sic ceperis, vt lib. 3. *Ad Euphratem contendit, iunctoque eò pontibus quinq; tamen diebus traiecit exercitum.*

P. 240. *Achillem quoq; à quo genus ipse deduceret cum captiua coisse: ne inferri nefas arbitrentur; ita matrimonij iure velle iungi.*

Quid *ita* vult hoc loco sibi. Abundat in nullum vsum, nisi *rite* corrigendum, vel *in*, vt libr. 10. *Oxatris Persæ filiam mecum in matrimonio iunxi.* Nam illud eloqui vix etiam audeo, vt priora leniter mutentur: *cum captiua coisse, ne in se fore nefas arbitrentur: & tamen matrimonij iure velle iungi.* Ne sibi turpe putent, etiam Achillem fecisse: & se tamen hoc amplius, vt minus turpe sit, in matrimonium poscere coniugem legitimam, nō pellicem aut amicam. Sed taceri hoc profectò poterat. quippe certò scio, turpius Alexandro Macedones censuisse, quòd connubiali etiam iure captiuam sibi iungeret, quā si iunxisset more tantum concubinali.

Pag. 241. *Iamque omnibus præparatis, quod olim praua mente conceperat, tunc esse maturum,*

quomodo celestes honores vsurparet, cœpit agitare.

Deest certò vocula participialis. Insero, *tūc esse maturum ratus.* Et hæc quî perierit, omnes facile vident, qui saltem aliquid vident.

Pag. 243. *Non pudet patriæ, nec desidero ad quem modum rex mihi colendus sit, discere. Quos equidem victores esse confiteor, si ab illis leges, quîs viuamus, accipimus.*

Iam pridem hic Glareanus offendit, cui obscurum, quos respiciat *quos* relatiuum, Deosne, an Reges, an Macedones? Obscurum id quidem, sed nihil respicitur horum. Mihi verò claro meridie clarius, excidisse aliquid, & id ipsum certò inuenisse puto me, quò particula isthæc referatur. Referenda enim certè postrema pars hæc orationis Callisthenicæ ad Persicum adorationis morem, vt illi respondeat Cleoneæ, qua exemplum is Persarum attulerat ad persuadēdos Macedonas de diuinis honoribus ipsorum etiam regi exhibendis. Verba sunt eius hæc suprà: *Persas quidem non piè solum, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere: maiestatem enim imperij salutis esse tutelam.* Ego igitur hanc mihi licentiam audacter vsurpabo, vt quod deest, à me suppleam, pœnam subiturus quamcumque docti statuerint, ni rem ipsam, quod dicitur, acu tetigero. Scribo: *Non pudet patriæ, nec desidero ad quem modum rex mihi colendus sit à Persis discere: quos equidem victores esse cōfiteor, si ab illis leges, quîs viuamus, accipimus.*

P. 244. *Polyperchonti quidem postea castigato diu ignouit.*

Aegrè fero istud *diu*, & vix abstineo interpolare: *Polyperchonti quidem posteà, castigato prius, ignouit.* Tamen diu multumque castigatum ceperis ex vulgato.

Ibid. *Castigandi verberibus eos nullius potestas praeter ipsum erat.*

Pulcrè: quasi rex ipse manus admouere debuerit castigandis. Hoc enim verba sonant, nulli verberare eos licuisse, nisi vni ipsi regi. At tu mecum scribe: *Castigandi verberibus eos nulli ius, nisi potestas per ipsum erat.* Hoc verum: non licebat, nisi cui rex iussisset. Ipse infra: *Nuper cum procacius se in venatione gessisset, more patrio & ab antiquissimis Macedoniae regibus vsurpato, eum castigari iussi.* Neque te turbet, quod hoc eodem libro: *Cum Hermolaus apud eum quoque verberatum se à rege quereretur.* Sana mente id accipiet, qui ipsus eâ sanâ.

P. 246. *Vultuque & oculis metum praeferens animi, vt rediret in conuiuium monuit.*

Neque *metum*, neque *motam* probo, si quis substituere velit. Rectum est, quod vulgo. Tamen eleganter, *animi mota* pro instincta, quae non sit suae mentis, vt solent, qui diuinitus inspirantur.

Ibid. *Adeò pertinax spes est, quam humanae mentis concupiscentiae deuorauerunt.*

Egò verò libēs veniā Modio do, sic, vt legimus, immutāti. quin amplius vellē, ita prorsus

excudiſſet, vt ad vltimũ coniecit: *Adeò pertinax ſpes eſt, quã humanæ mentes deuorauerunt.* Nõ veniæ modò, ſed & gratiæ locum reperiſſet, apud me quidem. Nam mihi ſanè totum iſtud, *quam ingentes concupiſcentiæ*, gloſſa marginalis eſt, in cõtextum, vt fit, ab imperitis deniq; recepta. Niſi tamen non inuenuſtè aliter etiam interpolari videatur in hunc modum: *quam humanæ mentes tam ingenti concupiſcentia deuorauerunt.* Quod ſi cui placet, eum dono: ſibi habeat. Mihi Modianum, quod dixi, vnicè probatur.

P.247. *Ptolemæum ac Leonatum excubantes ad cubiculi limen excitauerunt.*

Potius *excitauerant.* Si tamen ipſa vox ſincera: quam etſi fero (acceptam non trito illo ſignificatu, ſed quo inferius etiam eſt hoc libro: *Nolo ſingulos veſtrum excitare, ne inuiſam liberalitatem meam faciam, ſi pudori veſtro grauem fecero.*) tamen eiuſdem crebra repetitio ſuſpicionẽ mouet. Etenim & vix præceſſit, *Excitatisque cuſtodibus corporis*: & ſtatim ſequitur, *excitant regem.*

P.250. *Hæc Hermolaus. At rex, Quàm falſa ſint, inquit, quæ iſte tradita à magiſtro ſuo dixit, patiẽtia mea oſtendet.*

Imo, *oſtendit*, præſenti tempore vel præterito potius. Oſtenderat enim iam longè aliter ſe moratum rex iſtâ ipſâ patientiâ, qua conuicia & probra debacchantis in ipſum Hermolai tã placidis aurib. acceperat, & tulerat animo tam æquo. Documentũ & exemplũ moderationis ſuæ dederat, immodeſtiã ſine vlla moderatione ex-

ne exprobranti sibi modestissimè auscultans. Atq; id euincunt subsequẽtia regis etiã verba.

Ibid. *Hoc & oportet fieri, & vt à tutoribus pupilli, à maritis vxores, seruis quoque pueros huius ætatis verberare concedimus.*

Liquida sententia, subturbida verba: quæ mutari sic illa postulet: *& fit à tutoribus pupillis, à maritis vxoribus.* At minori mutatione sic potius ego scribam: *Hoc & oportet fieri* (dubito, an & hoc mutandum *ferri,*) *& ferunt à tutoribus pupilli, à maritis vxores: seruis quoque p. h. æ. v. concedimus.*

Pag. 251. *Horum fides stabile & æternum faciet imperium: & sanè plus habemus, quàm cupimus.*

Malè ad Alexandri mentem, *cupimus.* Ille verò *capimus* voluit, nec Curtius aliter ipse.

P. 252. *An me luxuriæ indulgentem putatis arma vestra auro argentoque adornasse? Assuetis nihil vilius hac videri materia volui; Macedonas inuictos ceteris, nec auro quidem vinci.*

In tanta lectionum varietate, facilius omnino, quid fugiamus, inuenire est, quàm quid sequamur, vt Modius aiebat. Alluxit tamen nobis aliquis lucis radius, siue strictura est: & speramus illius ope verum ita peruidisse, vt accenso de nobis nouo lumine tenebras omnes loci penitus illustrare possimus & clarare. Primùm hæc refutanda erat, quam Modius dedit. At refutat ipse Curtius, si verba eius ista cum sequentibus comparemus. Scilicet si assuetudine vile aurum argentumque concinnare Ma-

cedonibus Alexander ſtatuiſſet, vt qui ceteris inuicti, nec illorum æſtimatione & cupiditate vincerentur: id ſi vellet, inquam, ita ſubiungeret ſcilicet: *Oculos ergo primùm eorum ſordida omnia & humilia ſpectantium capiam, & docebo nos non auri aut argenti cupidos, ſed orbem terrarum ſubacturos venire.* Quid horum ſententiâ diſſentaneum inter ſe magis? quid tota abſurdius oratione? De Macedonibus præmittit: mox de Indis idem interpretatur. Atqui nihil ad Macedones iſta: *Aſſuetis nihil vilius hac videri materia volui*: nihil hęc omnino ad Macedones, iterum dico. De Indis etiam ipſis capienda: quæ commodè non poſſunt tamen, imò nullo poſſunt modo, niſi leuiter emendentur, & ad hoc prorſus exemplũ, reuocata etiam voce *oſtendere*, quæ in vulgatis editionibus non temerè addita, temerè in Modianis etſi cõſilio quidẽ ipſius, omiſſa. Scribo: *Aſſuetis nihil vilius hac videre materia volui oſtendere, Macedonas inuictos ceteris, nec auro quidem vinci. Oculos ergo primùm* &c. Ait: Indis, qui aurum argentumque ſolum ſpectant, qui nihil quod ea materia vilius ſit, oculo recto pænè dignari ſolẽt, huius tantùm cupidi & æſtimãtes: ijs apparatu hoc & cultu armorũ oſtendere ac probare voluí, Macedones meos virtute ac ceteris rebus quacunq; gente ſuperiores, ne his quidẽ ornamentis, luxurię verius inſtrumentis, vel tãtillo inferiores. Illorũ ergo oculos, hæc tantùm, vt ſola præclara & ſublimia, quæ reuera ſordida tamen & humilia, ſpectantium aſpectu primo capiam:

capiam: ſimul docebo, nos minimè ad diuitias iſtas obtinendas, quibus ipſi iam abundemus, ſed ad imperium orbis terrarum occupãdum, quod virtuti noſtræ debetur, aduenifſe. Diduxi hæc aliquantulum, vt ſenſus magis explicaretur: in quo tamen iſta verba, *nihil vilius*, pariũt nonnihil ambiguitatis, (vnde & totus in reliquis error, & corruptio ipſa fluxit:) quę ſic potius interpretanda videantur: vilem & paſſim obuiam auri argentique materiam apud Indos, qui illam ipſam tamen vnicè ſpectare ſueuerint & ſectari. Sed hoc quidquid eſt, momẽti leuioris eſt, & quod totum locum nõ arguat minus à nobis rectè emẽdatum. Hunc verò emendatum ſic rectiſſimè, teſtem, fundũ & ſubſcriptorem ipſum dabo Curtium: qui ſuperius Alexãdri mentem & conſilium hoc idem aperuit nobis, cum ita diſſerit: *Itaq; omnibus cõpoſitis, cogitationes in bellũ Indicum vertit. Diues regio habebatur, nõ auro modò, ſed gemmis quoq; margaritiſq; ad luxum magis, quàm ad magnificentiam exculta. Clypei militares auro & ebore fulgere dicebantur. Itaq; ne cubi vinceretur, cum ceteris præſtaret, ſcutis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit: loricas quoq; alias auro, alias argento adornauit.* Et abſque hoc loco eſſet, alter ille nec emendari, nec explicari potuerat omninò.

P.253. *India tota fermè ſpectat Orientem, minus in latitudinem, quàm recta regione ſpatioſa. Quæ auſtrum accipiunt, in altius terra faſtigium excedunt.*

Vidi, qui *aſpiciunt* mutare vellet. Simplicius id erat, non tamen verius. Quæſo enim an non ita æquè eleganter? Elegantius etiam: & exempla paſſim obuia, quorum vnum habe è Plinij Laurentino. li. 2. epl. 17. *Ad hoc patentibus feneſtris fauonios accipit tranſmittitq;*. Plura & hìc ſunt, & in Tuſcis, quos deſcribit li. 5. ep. 6.

P. 254. *Ceterum quæ propiora ſunt mari, Aquilones maximè deurunt. Ii cohibiti iugis montium, ad interiora non penetrant, ita alendis frugibus mites.*

Imo verò *mitia*. loca ipſa mitia ſunt, atque inde, quòd venti ad ea non penetrant.

P. 255. *Breuiora itinera equo conficit. Longior vbi expeditio eſt, Elephanti vehunt currum: & tantarũ belluarum corpora tota contegunt auro.*

Siue, *elephanti vehunt curru:* regem ſcilicet. Nã diſtinctio non mutanda: *elephanti vehunt: currum & tantarum.*

P. 256. *Lecticis aureis pellicum longus ordo ſequitur. Separatum à reginæ ordine agmen eſt, æquatq; luxuria.*

Vulgò *aliud reginæ.* Fortè mutandum fuit: *ſeparatum illud à reginæ ord.*

Pag. 258. *Quis neget, eximiam quoq; gloriam ſæpius fortunæ quàm virtutis eſſe beneficium? quippe ne epulantes quidem & ſopitos mero aggredi auſus eſt hoſtis.*

Rectè omnia: nec celabo tamen quid in mentem venerit primum hęc legenti. Suo ſit Curtius arbitrio locutus: ego ita maluiſſem;

gloriam ſæpius fortunæ beneficium, quàm virtutis eſſe meritum.

Pag. 259. *Deſeruerant incolæ ſedes, & in auios ſilueſtreſque montes confugerant. Ergo Acadira tranſit, æquè vſta & deſtituta incolentium fuga.*

Non credo huic verbo *vſta.* Non enim incendiſſe apparet, ſaltem reliquiſſe. Scribâ ergo *vaſta:* quod & tu ſcribe, ſi quid mihi credis.

Ibid. *Diuiſis enim copijs, pluribus ſimul locis arma oſtendit: oppreſſiq; & qui non expectauerant hoſtem, omni clade perdomiti ſunt.*

Flagitium magnum fecerunt, qui vocem *vrbe* eiecerunt: ſed maius, qui primi corruperunt: niſi tamen illi maius eâ cauſsâ, quod corruptum legi præſtabat, vt poſſet aliquando corrigi, quàm deleri, vt tolleretur & facultas & ſpes emendationis. lego: *oppreſſique orbe, qui non exſpectauerant hoſtem, omni clade perdomiti ſunt.* Sed quid hoc (malum!) eſt *orbe*? Valet, in circulum, vndequaque, ab omnibus partibus. Ita loquitur noſter etiam libr. 4. *Vltimos ordines auertit à fronte, vt totam aciem orbe muniret.* Perſpicuus vtrobique ſenſus. Hîc iſte: eos qui ex vrbibus ſedibuſque ſuis profugerant, copiis diuiſis, vndique circuitos & incluſos.

P. 260. *Hæc munimenta cõtemplantem Alexandrũ conſilijq; incertum &c. quidam è muro ſagitta percuſſit. Cum forte in ſuram incidit telum, cuius ſpiculo euulſo admouere equum iuſſit.*

Vulgo

Vulgo *Tum forte.* Vtrumque illorum ineptum, & debet expungi tam hoc quam illud. Scrib. *percußit. Fortè in suram incid.*

Ibid. *Ceterum cum crus saucium penderet, & cruore siccato frigescens vulnus aggrauaret dolorem, dixisse fertur, se quidem Iouis filium dici, sed corporis ægri vitia sentire.*

Festiuè iocatur ipsus in vanitatem suam: & festiuius apud Plutarchum, simile quid narrantem in eius vita; ὕστερον δὲ πληγῇ περιπεσὼν ὑπὸ τοξεύματος, καὶ περιαλγὴς γενόμενος, τοῦτο μὲν, εἶπεν, ὦ φίλοι, τὸ ῥέον, αἷμα, καὶ οὐκ ἰχώρ.

——οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.

pulchrè alludens Homerum, cuius studiosissimus perhibetur. Ibidem, si vacat, & ridere libet, amœnam ac iucundam fabellam lege, nisi vera potius res est, de origine diuinitatis Alexandri, qui comiter filiolus, sed ambiguè quasi Iouis filius à vate græcissante per errorem sit primitus appellatus; vnde ipso mox volente opinio increbuerit, verè à Ioue agnitum & salutatum. Sed nō tempero mihi, quin adscribam. nec enim longum est, & iuuat emblemate tam venusto reficere me pariter ac lectorem, ab horridiusculis hisce correctionum spinis fatigatos. ἔνιοι δέ φασιν, τὸν μὲν προφήτην ἑλληνιστὶ βουλόμενον προσειπεῖν μετά τινος φιλοφροσύνης, ὦ παιδίον, ἐν τῷ τελευταίῳ τῶν φθόγγων, ὑπὸ βαρβαρισμοῦ, πρὸς τὸ σίγμα ἐξενεχθῆναι, καὶ εἰπεῖν ὦ παιδίος, ἀντὶ τοῦ ν, τῷ σ χρησάμενον. ἀσμένῳ δὲ τῷ Ἀλεξάνδρῳ τὸ σφάλμα τῆς φωνῆς γενέσθαι, καὶ διαδοθῆναι

λόγον,

λόγον, ὡς παῖδα Διὸς αὐτὸν τοῦ θεοῦ προσειπόντος. Faueamus Alexandro, & è ioculari hac ἀποθεώσει seriam gratulemur.

Pag.261. *Petra non vt pleraq; modicis ac mollibus cliuis in sublime fastigium crescit, sed in metæ maximæ modum erecta est: cuius ima spatiosiora sunt, altiora in artius coeunt, summa in acutum cacumen exsurgunt.*

Eleganter nobis metam describit, sed non maximam, quod hæc lectio falsò suadet. Scribe *maximè* aduerbiali forma. vult enim petram hanc metæ fuisse consimilem, siue eius potissimum speciem præbuisse. Non semel ad hoc exemplum in Curtio peccatum. Nam & lib.3. *Armati bipennibus leuibusq; scutis, maximæ cetræ speciem reddentibus*: item *maximè* scribendum: quomodo & hic & illic vetustiores expresse habét. Atq; etiam lib.7. *Ad vltimum in carinæ maximè modum coit.*

Pag.264. *Rex locorum magis quàm hostium victor, tamen victoriæ sacrificiis & cultu Deûm fecit. Aræ in petra locatæ sunt Mineruæ victoriæque.*

Edere sic Modius ausus est: in Notis idem mauult tamen, *magnis victoriæ sacrificiis*: quia vulgo *magnæ* legitur insertum. Neutrũ eius mihi probum. Quid enim *facere sacrificiis*? illautum & illatinum. Nec victoria hìc dea capiéda, quę cum Minerua demum nominatur. Ego tentabam aliquando: *Rex locorum magis, quàm hostium victor, tamen magno victor*: sed non progrediebar; vt reliqua accommodarem. Magno victor, cui

victo-

victoria magno constitisset, impensa nempe nobilissimorum iuuenum Chari & Alexandri militumq; praeterea fortissimorũ. Sic Propertius lib. 4. ex oraculo emẽdationis Lipsianae, cuius interpres nobis princeps literatae iuuentutis I. Dousa F.

Magno Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lauat.

Enimuerò quamcunq; nunc rationẽ ineo, nihil videtur mihi potius, quàm vulgatã retinere lectionẽ, vsq; dũ melior ab aliis aliquãdo reperiatur. Illa autẽ nõ pessima, certè tolerabilis: *tamen magna victoria sacrificiis & cultu Deûm satisfecit.* id est, etsi nõ omninò victor, ingentẽ tñ hanc victoriã honore sacrificiorũ prosecutus est, & cultu Deorum veluti repẽsauit. Lugdunensis editor iterum ludos hîc facit, & solenniter insanit, cum è noua simul & veteri lectione aliam concinnat neq; nouam neq; veterẽ. Excudit: *tamen Victoria magnis sacrificiis & cultu Deûm satisfecit.* Vnde hellebori satis, quo caput hoc purgemus? Anticyra tota nõ sufficit: & nauiget eò tamen, si possit aliquantulum curari.

P. 267. *Gamaxusq; rex exigua partis Indorum, qui Bazaenti se coniunxerat, vinctus adductus est.*

Melius oratio fluat: *Gamaxus quoque rex.*

P. 269. *Dato signo vt omnes silentio ascenderent in ratẽ, eam qua ipse vehebatur, primã iussit expelli.*

Cur immutare placuit, quod est vulgo *rates?* plures sane fuerunt.

P. 270. *Armaq; capere milites & ire in ordinẽ iussit.*

Iterum multitudinis numero ſcribe *in ordines*, etſi nuſquam hoc quidē in vulgatis. Sed ita ſcribendū res clamat, & ſimiles loci. lib. 4. *Nec miles in iuſſu ducis aut arma capere poterat, aut in ordines ire.* lib. 7. *In ſuos quiſque ordines currimus.*

Pag. 271. *Capitis etiam ſanxerant pœnam iis, qui ex acie non retuliſſent, metuque*m *ex illo hoſte quondam conceperant etiam in religionem venerationemq́, conuerſo.*

Malim primo. *Capitis etiam ſanxerant pœna, ſi qui ex acie.* Mox non *etiam*, ſed *iam in relig.* quod non æquè neceſſarium tamen ipſe cenſeo, vt alterum non prorſus alij forte cenſebunt.

Ibid. *Tu Antigone, & tu Leonate, & Taurō inuehimini non in mediā aciem, ſed vrgebitis frontem.*

Exerto cachinno Modius vulgatā lectionē ridet, nec ridet tantum, ſed exagitat etiā vehementi cū indignatione. Quā adeo ob cauſſam? An enim, inquit, inuehi poteſt quiſquā in mediam aciē & vrgere frontem? Poteſt, Modi: ſi mediā aciem rectè accipias, non interiorem, quanquā & iñteriorē, ſed illam interiorē, quæ intra duo cornua conſtituta: quā & mediā rectè dixeris & nō potes niſi frontē. Quod enim exercitus nō in cornua protenſum, mediū inter ea locū tenet, eſt nimirū frons aciei. In hāc igitur inuehi Antigonū & reliquos iubet Alexander, vbi ipſe cū ſuis in læuū, Cœnus in dexterum cornu hoſtium impetū feciſſent: vt iam iā monuerat, ſed verbis itē vitioſis, quibus inſerenda præpoſitio in hunc modū: *Cum ego, inquit,*

quit, Ptolemæo, Perdiccaq́; & Ephæstione comitatus in læuum hostiũ cornu impetum fecero, ipse in dexterum moue, & turbatis signa infer. Vbiq; adhuc, *ipse dexterũ moue*: quo nihil absurdius. Mouebat enim ipse rex cornu suũ dextrũ, si in læuum hostium inuehebatur: Cœno mouendum læuum erat, si in alterum oppositum, nempe dexterũ, debebat. Et vide, quàm elegans locutio perierat, *Mouere in aliquem*! sed & hac reducta & loco ipso restituto, rescribamus iã & alterũ, de quo propriè hic agere cœperamus. Eum scribe & lege, prorsus vt in vulgatis exhibetur: *Tu Antigone, & tu Leonate, & Tauron, inuehimini in mediam aciem, & vrgebitis frontem.*

Ita omninò rectè; satis ex superioribus liquet: neq; mihi libet vel in explicando vltra Curtio, vel exagitãdo Modio tẽpus hoc abuti. Meruerat totidẽ & eadẽ, quæ hîc in alios ipse iacit: nisi beneficiis reliquis nõ hãc modo noxã, sed plures redimeret apud me sanè facillimè, nec difficulter apud alios, quos oro etiam ipse tam æqui illi velint esse, quã sibi quisque quemq; velit in simili errore. Homines sumus, & humani (quid humanius autem quã labi?) nihil à quoquam alienum.

P.275. *Rursus interrogatus quid ipse victorẽ statuere debere censeret, Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es quàm caduca felicitas esset.*

Auet & audet animus pro *ipse, in se* rescribere, nisi vtrumq; simul forsan aliis videatur.

VAL.

VALENTIS ACIDALII IN Q. CVRTII LIBRVM IX. ANIMADVERSIONES.

AD

LAVRENTIVM SCHOLtzium virum clariss. Medicum Vratislau.

M*AGNA & inuicta, quod tu non ignoras V. Cl. vis est natura, quæ nec expelli posit unquam prorsus, & si expellatur vel furca, tamen recurrat usq. Poetæ verbis. In omnibus id ubiq. videmus rebus, ego & in me experior ipso: qui sæpè cum ingenio meo luctatus, obsequi sum ei coactus tamen, & sequi semper, quo naturæ ductus aurigabatur. In studijs dico: quorum ego rationem vniuersam cum nunquam abhorrui, tum eam potißimum inde à puero conciliatam mihi præ ceteris nescio quomodo sensi, quæ in humanioribus & amœnioribus literis dedita Philologiæ nomen inuenit. Hanc amaui igitur & colui aßiduo, nec impetrare à me vnquã potui, vt præ grauioribus studijs spernerem, aut cùm his dedissem me tamẽ, quod & mea tum & temporum*

horum postulare conditio videbatur, non respicerem ad illam frequenter, aut minus in oculis & amoribus haberem. quin ita temperaui semper, vt philosophica & Medica ista vbi tractarem, huius vnà rationem pariter ibidem ducerem, & cum huic indulgerem, non negligerem interim, quæ maioris operæ essent & curiæ potioris. Nec vnquam factum est, vt hæ vices diuersorum studiorum impedierint progressus meos in altero, quod isti necessario fieri dictitãt, qui requiri ab vnoquoq; totũ hominem, & aliter animos nostros distrahi nimis, & non sufficere vel diligentiam vel ingenium humanum in plura arbitrantur. Est ita vero: sed nec est planè, si modum quis norit & studia ipsa & tempora disponendi, quorum aptæ vicißitudines tantum abest, vt impedimentum ferant vllum, vt contrà maximum adiumentum. In me sum expertus ita quidem, nec aliter alij sibi fieri testati sunt, cum quibus eleganter & variè doctis hac ipsa de re contuli sæpè, verèq; didici, conspirare inter se amicè genera omnia studiorum, & altero poscente alterius opem tradere operas mutuas, nec aliter existere solidam in vllo vnquam eruditionem. Quam vt mihi non arrogo (absit ista persuasio procul, nec huc torserit mihi quisquam

quam mea verba:) ita non omnino me pœnitet, quatenus processerim: illud quidem pœnitere nequaquam potest, eam secutum fuisse, quam dixi, rationem. Nec eandem nūc muto, aut mutabo, tam vtilem simul & iucundam: etsi hoc quidem tempore magis in philologis sum, & deseruisse videor ista τῶν Ἀσκληπιαδῶν signa, quorum tu V. Cl. πρόμαχος hîc nobis, eruditione & industria, tum vsu rerum facilè ceteris antecellens. Ego vero non vestri desertor, nec transfuga, qui non agnoscam diuersa aut cōtraria professionum, quas vocamus, castra, sed vna eademq; habeam omniū, tam horum quàm illorum cultor & sectator. Est tamen diuersa instituti mei ratio, nec vniuersis eodem auctoramento me adstrinxi. Vt medicinā facerē, animus nunquā fuit, nec eū finē mihi fixi, cū initiarer primū istis sacris. Alia secutus cōsilia sum, de quib. nec hoc loco me dicere, nec omnino quemquam scire attinet præter eos, qui omnium illorum ita conscij mihi sunt, vt fuerint & auctores. Quod huius est & loci & tēporis, ita vti cœperam dicere de naturæ vi, quæ in humanioribus literis puerum & adolescentulum tenuit, eadem in ijsdem pertinaciter tenet etiam nunc, & quanquam à ceteris totum non auellit, magnam tamen & præci-

puam mei partem istis vindicat, ad eaq; nunc reuocat, quæ olim cœperamus, & cogit emoliri, quæ diu moliti sumus. Inter hæc Curtianæ Animaduersiones sunt, de quibus in ipsa etiam Italia inter aliorum studiorum occupationes agitaui: sed nunc vt proferre n tandem occasio nata est, quam eandem, si durat, amplectemur & in alijs porrò edendis, quæ plusculа apud nos ægrè in hunc diem continemus. In Curtio quæ præstiterimus, eorum te quoque cum alijs iudicem facio, & nominatim hunc ad te nonum librũ mitto, quem inscriptum clarissimo nomini tuo libẽter accipies, cumq; vacabit & à molestijs curationum, quas in ægris assiduò magna cũ artis, industriæ & successus laude obis, & à propriorum studiorum laboribus, quibus & de tuo subsidium arti medicæ paras, & de alienis præcipuè iam dudum præstas, dum vtilissimo laudatissimoq; studio posthuma & derelicta aliorum scripta, quæ non perire magis viuentium interest mortalium, quàm auctorum mortuorum (certè enim illorũ saluti magis consulitur, quàm horum famæ, etsi famæ aliquantum etiam ipsorum:) colligis, digeris, edis: ab illis igitur inquam operosis cum vacabit, ad hæc leuiora te demittes, censuraq; tua vel rectè sentiẽtem me approbabis, vel errantem

tem

tem aliquando excuſabis & tueberis aduerſum calumnias quà maleuolorum, quà imperitorum. Amas nimirum hoc genus tu quoq; & intelligis: me certè amas, in quem humanitas & beneuolentia tua inſignis, & quod te rogo, ſi minus ipſius rei, mea quidem omnino cauſſa facies: à quo habes leuem hanc obſeruantiæ in te ſignificationem, quam maiorē tibi debitam non potui in moneta meliore nunc repræſentare. Sed vt aſper & probus hic nummus non ſit, nihilominus in ſolutionē valere patieris, non nominis mei totius, ſed partis alicuius, quantamcunq; ſolui eo poſſe tu ipſe, cùm notam diligentius inſpexeris, iudicabis. Erit, vt ſpero, nota non malæ prorsùm, qua poterit ſe nonnihil commendare tibi: ſin is aliter eſt, me tamen habebis tibi porro de ea planè, qua iam noſti me, nota commendatum.

VAL. ACIDALII AD Q. CVRTII LIBRVM IX. ANIMADVERSIONES.



On ſum equidem neſcius, calumniam in me variam excitatam querelâ iſtâ meâ de mendarum in bonis adhuc ſcriptoribus vbique ſuperſtite copia: neq; tamen eius pœnitet me, quam eſſe veram & à ſincero profectã animo mihi ſum conſcius: qua conſcientia voces maleuolorum omnes facile refuto, certè nõ moror admodum, atq; ita feram, vt ſpreuiſſe videar & nec audijſſe. Vna me tamen mouet nonnihil, quæ ni fallor, erit præcipua & grauiſſima, neque contemnenda adeò mihi, quin iam nunc in tempore me aduerſus eam muniam. Aient, detrahere nos induſtriæ priorum, & inuidiam facere ijs, quos arguimus tam multa reliquiſſe. Abi verò Calumnia: non tibi locus in ingenium vel mores meos. Iniuriam mihi facient, qui factam à me alijs hanc intẽdent. Nunquam in me cadet, cuius hi me criminis inſimulabũt. Venerari ego didici labores eruditorũ, non ſugillare; eorũ merita gratè agnoſcere, non detrectare; prædicare etiam, non inſectari. Quin ita mihi ingenium, vt de mea, ſi qua ſit mihi, laude apponere alijs malim, quam alios ſua defraudare. Nec vnquam mihi placuit, aliorum obtrectatione popula-

pularis nescio quid auræ captare: qui mos hodie viget apud nimium multos, famam, quam ex se bene dicendo scribendoq; desperant, alijs male dicendo, male de alijs scribendo quærentes. Hic mihi mos detestabilis: nec censeo, decus vllum peti ex aliorum dedecore posse. nec probus quisquam in gloriæ suæ fundamentum ruinam substernere molietur alienæ. Sed ne declamationẽ instituisse in exsecrandũ & vulgatissimum hoc tempore vitium credamur: ab eo nos defendisse satis sit: qui palàm testor, & Deũ attestor, non à me scriptũ, quò scriptũ maligni trahant. quod tamen quomodo illuc tandẽ trahãt? Nõ pręstitisse nihil aut parũ eos diximus, sed multa necdũ pręstitisse. Quid priorib. decedit, si posteris etiã aliquid vindicandum? Non illis magna laus, magna gratia non debetur, qui multa iam emendarũt, quia laus & gratia par maiorve debenda, quibus etiamnũ plura emendanda. Quæ inuidia ijs fit, quos præclarè & prolixè meritos nõ negamus, dum merendi materiam concessisse alijs vberem affirmamus. Non pauca sustulisse arguuntur, qui multa reliquerint: sed nimia fuisse, vnde cum plurima sublata, ibidem plura sint relicta. Quis autem culpa dignus vnquam visus, qui cum faceret, quod posset, non potuit, quod debuit? Sed si quidem nec debuerunt omnia: quod nemo ab ijs flagitabit, nisi vel insanus, vel immemor humanæ conditionis. In hanc non competit, vt vnus aut plures in quacunque re; in ista vix, vt

omnes præſtent omnia. Tamen de pleriſque hîc ſperari poſſit, ſi tantundem elaboretur deinceps à nouis, quantum à veteribus hactenus elaboratum. Ita vides, magna & multa palàm à me tribui prioribus, qui ſpem conſummatæ, quod poteſt, Critices in eo ponam, ſi tribui aliquando poſterioribus eadem poſſint. De his quidquid erit; nos interim quod poſſumus, in medium adiuuemus, tirones adhuc quidem & in extremo agmine criticarum copiarum tamen ſi non ſtrenuam fortaſſis & vtilem valdè, nec ignauam certè nec damnoſam operam collaturi.

Pag.276. *Rex duabus vrbibus conditis in vtraq; fluminis quod ſuperauerat ripa, copiarum duces coronis, & mille aureis ſingulos donat. Ceteris quoque pro portione aut gradu quem in amicitia obtinebant, honos habitus eſt.*

Ex alijs editionibus inſerit & emendat Modius: *pro portione aut gradu, quem i.a. obtinebant, aut nauatæ operæ honos eſt habitus.* Mihi inſerenda quidem olim iſta videbantur omninò, ſed non illo loco. Neque nunc de inſertione muto, de loco tamen nihil turbo. Nam ſermonem ita tunc ſtruebam, vt coniungerentur *pro portione nauatæ operæ.* Itaque duplex exiſtebat ordo, & poterant vel præcedere iſta, *pro gradu quem in amicitia obtinebant,* vel eadem ſequi: de quibus, vtrum melius, non ſtatuebam; vtrumq; bonum arbitrabar. Alia nunc ſententia ſedet, abeſſe minimam literam, qua reſtituta ſub eo quo vulgò legun-

tur

tur ordine præclarè ſit locus reſtitutus. Scribo: *Ceteris quoq; proportione aut gradus, quem i.a. ob. aut nauatæ operæ h.e. habitus.* Exaudies ſcilicet & operæ & gradus portionem.

Pag. 278. *Et in vicina oppida ingentem intulere terrorem, inuictum exercitum & deorum profecto aduenisse memorantes.*

Qui *Deum* ſcribunt, tamen accipient *Deorum.* Non enim ad regem ſolum trahes, qui ſe Deum ferebat, & ferebatur; credi volebat Deus, & à barbarorum plurimis credebatur. Exercitum Deorum capies & tueberis alio gemino loco, qui inferius hoc ipſo libro. *Territi noua facie, deorum exercitum & alium liberum patrem celebre in illis gentibus nomen, aduentare credebant.*

Pag. 280. *Equidem plura tranſſcribo, quàm credo. Nam nec affirmare ſuſtineo, de quibus dubito; nec ſubducere, quæ accepi.*

Neque hîc mutandum *ſubticere.* Subducere; vt ſubtrahere lib. 6. *Alijs nominatis me vnum ſubtrahebat.*

Ibid. *Phegelis erat gentis proximæ rex, qui popularibus ſuis colere agros (vt aſſueuerant) iuſſis, Alexandro cum donis occurrit. Nihil quod imperaret detrectans, biduum apud eum ſubſtitit. Rex tertio die amnem ſuperare decreuerat; tranſitu difficilem non ſpatio ſolum aquarum, ſed etiam ſaxis impeditum.*

Mire variatur in regis huius nomine. *Phegelis* hîc, vulgò *Phegelas*; apud Diodorum *Phegeus*

ſcribitur. Sed ille quocunque nomine, recte ne dicitur apud Alexandrum ſubſtitiſſe? potius apud illum Alexander, quippe hoſpes in eius regno. Diſtinctionem muta leuiter, & rem optimè compones: *Phegelis e. g. p. r. q. p. ſ. c. a. v. a. iuſſus, Alexandro cum donis occurrit, nihil quod imperaret, detrectans. Biduum apud eum ſubſtitit rex: tertio die amnem ſuperare decreuerat.* Si me minus; at Diodorum audi, qui penitus perſuadebit: Αὐτὸς δὲ εἰς τὴν Φηγέως δυναστείαν ἐμβαλὼν, καὶ τῶν ἐγχωρείων ἀσμένως τὴν τῶν Μακεδόνων παρουσίαν προσδεξαμένων, καὶ τοῦ Φηγέως μετὰ δώρων πολλῶν ἀπαντήσαντος, τὴν τε βασιλείαν ἔχειν συνεχώρησε, καὶ ξενισθεὶς μετὰ τῆς δυνάμεως ἐπὶ δύο ἡμέρας λαμπρῶς, ἐπὶ τὸν Ὕφασιν πόταμον προῆγε.

Ibid. *Eorumque regem eſſe Aggrammen, XX. millibus equitum, ducentisq́; peditum obſidentem vias. ad hoc quadrigarum II. millia trahere, & præcipuum terrorem elephantos, quos III. millium numerum explere dicebat.*

Radit aures meas poſtremum verbum *dicebat*, quod à Curtio nunquam ſcriptum, ſed à librarijs adſcriptum. Apage in rem malam. Modius autem hoc tulit? Miror, qui quidem alia tam multa paſſim huius exempli ſuſtulerit. Hoc quidem loco non magis id retinere debuit, quàm alijs, vnde ſimilia & hoc ipſum ſæpe iam pridem exturbauit. Sed & alibi ſuperant etiamnum, quæ nobis tollenda prudens an imprudens reliquit. Omnis oratio hæc

à remo-

à remotiore verbo pendet, quod vbique ſubintelligendum, *cognoſcit.*

Pag. 282. *Quid autem intereſt, totidem ſint, quot Porus habuit, an tria millia, cum vno aut altero vulneratis, ceteros in fugam declinari videmus?*

Ad calcem libri inter operarum errata notarunt, delendam notam interrogationis. Ineptè. Retentâ eâ, *viderimus* ſcribendum fuit, aut *videamus*: quorum hoc vulgatæ editiones rectè habent, eædemq; non malè, *declinare.*

Pag. 284. *Per vos, gloriamque veſtram, qua humanum faſtigium exceditis, perq; & mea in vos, & in me veſtra merita, quibus inuicti contendimus, oro quæſoq;*

Concipi hoc eâdem formulâ debuit, qua ſimiles obteſtationes ſolent: *Per ego vos gloriam veſtram.* Ita Modius libro 4. emendabat: *Per ego vos Deos patrios æternumque ignem* &c. Et multa talia cum alij pridem, tum nuper in elegantiſſimis ſuſpicionum libris V. Cl. Ian. Gruterus collegit.

Ibid. *Et is vos rogo, qui nihil vnquam vobis præcepi, quin primus periculis me obtulerim, qui ſæpe aciem clypeo meo texi, ne infregeritis manib. meis palmam, qua Herculem liberumq; patrem, ſi inuidia abfuerit, æquabo.*

A me diſtinguo, è vulgatis *in* particulam infero: *qui ſæpe aciem clypeo meo texi. Ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herc.*

Ibid. *Nemo reſpondet, nemo ſaltem negat, quos alloquor.*

loquor. Quid autem postulo? vestram gloriam & magnitudinem vindicamus.

Bona distinctio: nec mala: *negat. Quos alloquor? quid autem postulo?*

Pag. 286. *Intuere corpora exsanguia, tot perfossa vulneribus, tot cicatricibus putria.*

Vulgò *putrida:* quorum neutrum sanum videbat Modius, eoque cogitabat, *varia:* sed abstinuit, cum ipse non probaret. Nos id multo minus: qui nec hoc agnoscimus nunc, quod olim eramus accepturi, *peruia.* videbatur id pulcrè respōdere illi alteri, *tot vulneribus perfossa.* Enimuerò transponendæ saltem in τῷ *putria* paucæ literæ, vt exeat *turpia:* quam veram scripturam ad præstationem ausim affirmare. lib. 10. pariter, *Ora cicatricibus deformia.*

P. 287. *Properè hinc relegens, quæ emensus erat, ad flumen Acesinem locat castra.*

Correxit ita Modius, edidit quidem certè, pro illo, quod corruptissimum ait, *præparans.* Si corruptum hoc, multo inde facilius erat scribere *properam:* quod valet item properè, formà qua efferuntur huius generis alia multa, modò Curtium ea vsum persuaderi sibi quisquam patiatur. Ego non id ago: qui mutandum nihil fuisse censeo. Nam *præparans* quâ caussâ corruptionis arguitur? Equidem mihi illud sanum, sub sana tamen interpunctione. Hanc pristinam reduco, vt superioribus nectatur, vbi non erit otiosum, quod visum fuisse correctori videtur: *Munimenta quoque castrorum iussit extendi,*

di, cubiliaque amplioris formæ, quàm pro corporum habitu relinqui; vt speciem omnium augeret, posteritati fallax miraculum præparans. Hinc relegens, quæ emensus erat, ad flumen Acesinem locat castra. Nihil ita turbat; neque quidquam omnium incommodi quidquam ex se parit. Nisi si pro *omnium*, *hominum* reponendum, quod leuiter suspicris ex Diodori præcipuè verbis: Ταῦτα δὲ πράττειν ἤμελλεν, ἅμα μὲν ἡρωικὴν βουλόμενος ποιήσασθαι στρατοπεδίαν, ἅμα δὲ τοῖς ἐγχωρίοις ἀπολιπεῖν σημεῖα μεγάλων ἀνδρῶν, ἀποφαίνοντα ῥώμην σωμάτων ὑπερφυῆ. Qui idem Diodorus hæc tamen ipsa multo plenius & paullo aliter narrat, Arriano mussante, quod miror, & de duodecim saltem aris vix aliquid subijciente.

Pag. 288. *Hi de exercitu Herculis maiores suos esse memorant, ægros relictos se, cepisse sedem, quam obtinebant.*

Vulgò *relictos esse*: quod ait Modius minus mihi placet. At mihi nec hoc, nec illud: quorum tamen alterum si placendum sit, facilius feram; quod est vulgò. Quæso autem, ipsine qui hoc memorabant ex Herculis exercitu reliqui & relicti ceperant eam sedem? Longæuos admodum fuisse oportet, qui ab Hercule durarint ad Alexandrum. Hoc enim credemus, si vera lectio, *ægros relictos se.* At ipsi palam refutant, de maioribus suis affirmantes. Scribe cum apta distinctione: *Hi de exercitu Herculis maiores suos esse memorant: ægros*

relictos cepisse sedem, quam obtineant. Iam ipsos populos non *Sobios*, vt Curtius, sed cum alij alios, tum *Ibos* vocat Diodorus: qui totidem ferè verbis de origine eorum: παρῆλθεν ἐπὶ τοὺς ὀνομαζομένους Ἴβους. τούτους δέ φασιν ἀπογόνους εἶναι τῶν μεθ᾽ ἡρακλέους ἐπὶ τὴν Ἄορνον πέτραν στρατευσάντων, καὶ τῆς μὲν πολιορκίας ἀποτυχόντων ἐν τούτῳ δὲ τῷ τόπῳ κατοικισθέντων ὑφ᾽ ἡρακλέους.

Ibid. *Delebant incolæ vrbem, hostes defendebant: adeò etiam natura vera bellum in contrarium mutat.*

Vt bene Modius, *qui defendebant*, ita malè idem, qui *vera* rescripserit è membranis. Alterũ vulgo pessimè: hoc optimè, *natura iura.* quod nullo iure potuit illi posthaberi. Nimium verò membranis tribuimus, si contra verum ijs niti sustinemus.

Pag. 289. *Quippe tria flumina tota India præter Gangem maxima munimenta arcis applicant vndas.*

Munimenta arcis vt flumina dicantur, non improbo, qui eadem scio sæpè regni munimenta dici. Concinnius hîc tamen legas *munimento*, quomodo exstat in vulgatis, vt *applicant* verbum habeat, cui applicetur. Conuenisse vult tria flumina ad arcem, & eius munitioni se applicasse: quod alij non attestantur, alia nescio quæ nec ipsa inter se consentanea narrantes.

Ibid. *Subducere nautæ ceperunt: sed ministeria eorum*

rum hinc cœtu, hinc prærapida celeritate flumi-num occcupantur.

Non constituo, membranarum *cœtu*, an excusorum *metu* verius: quorum & neutrum fortasse verum. At *ministeria nautarum* solens Curtius dicit libro 4. *Miles ministeria nautarum remiges militis officia turbabant.* lib. 7. *Vacillantesque milites, & ne excuterentur solliciti, nautarum ministeria turbauerant.* Alij item ministrandi verbum velut proprium hîc vsurpant. Virgil.

——velisque ministrant. Tacitus German. *Nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus adiungunt.* Vt autem nautarum ministerium, sic imperium propriè gubernatorum. lib. 9. *Nec in gubernatoribus quidem quidquam opis erat, quorum nec exaudiri vox à tumultuantibus poterat, nec imperium à territis incompositisque seruari.* libro 4. *Quippe gubernatores aliàs imperare soliti, tum metu mortis iussa exsequebantur.*

Ibid. *In oculis duo maiora nauigia submersa sunt: leuiora cum & ipsa nequirēt regi, in ripam tamen innoxia expulsa sunt.*

In vulgatis *maiora omnium:* quod astruere ego poteram aliorum exemplis nonnullis, & Apuleij maximè: sed placet ad ipsum ea reseruare, neque Curtio loquendi genus hoc impingere: qui, ne superuacuam censeamus omissam vocem, ita potius traductim scripsit: *In oculis omnium duo maiora nauigia submersa sunt.*

Ibid.

Ibid. *Ergo ingenti certamine concitant remos, quantaque vis humana esse poterat, admota est, vt fluctus, qui se inuehebant, euerberarentur. Findi crederes vndas, & retrò gurgites cedere: quibus tandem nauis erepta non tamen ripæ applicatur* (non, *applicabatur,*) *sed in proximum vadum illiditur.*

Pulcra descriptio, cuius similis lib. 4. *Tandem remis pertinacius euerberatum mare velut eripientibus nauigia classicis cessit, appulsaq́ sunt littori lacerata pleraque.*

Pag. 290. *Trahi extra sidera & solem, cogiq́ adire, quæ mortalium oculis natura subduxerat.*

Melius, *subduxerit.*

Ibid. *Caliginem ac tenebras & perpetuam noctem profundo incubantem.*

Quid ita recusemus addi *mari?* Displicet λεπτολογεῖν. Ipsum Virgilianum est: *Ponto nox incubat atra.*

Ibid. *Iam prospicere se Oceanum. iam perflare ad ipsos auram maris, ne inuiderent sibi laudem quam peteret, Herculis & liberi patris terminos transituro, illos regi suo paruo impendio immortalitatem famæ daturos.*

Insulsa ineptaque sanè vulgaris & lectio & distinctio, non multò tamen vtraque vel altera melior Modiana. scribo: *Iam prospicere se Oceanum: iam perflare ad ipsos auram maris. Ne inuiderent sibi laudem, quam peteret, Herculis & liberi patris terminos transiturus. Ipsos regi suo p. impend.*

Pag.

P.291. *Sed metu ne an oborta seditione inter ipsos, subito profugerunt barbari.*

Noui ex Tacito aliisque alternantem hanc locutionem. Nec ea Curtium vsum negem, sed nec tam asseueratè cum Modio affirmem: qui quidquid iuret, à correctoribus intrusa ista, vel *vt traditur*, vel *non traditur*, non persuadet omninò mihi, propter sequentia hęc maximè: *Certè auios montes & impeditos occupauerunt:* quæ melius hærent, ita nexa oratione: *Sed haud traditur, metu ne an oborta seditione inter ipsos, profugerint barbari: certe auios m. & i. occup.*

Pag. 293. *Et nudum hostis latus subiecto mucrone hausit.*

Rectissimè *subiecto* an damnes tamen, quod alicubi memini videre, *subrecto?*

Pag. 294. *Subinde Timaus, & paullò post Leonatus, huic Aristonus superuenit.*

Vtcunque de aliis alij statuent, mihi non mutandum fuisse videtur *hinc.* At tergemina ista verbi *superuenit* repetitio mé offendit.

Ibid. *Sed ipse scilicet gloriæ suæ non refragatus, abfuisse se missum in expeditionem memoriæ tradidit.*

Non abesse potest tantùm, sed debet omninò istud *non:* quod si nec membranis abfuisset, tamen ego expulissem. Ironiam esse vel *scilicet* particula satis ostendit. Tam hic timidus autem tam repente Modius factus, vt qui alia sæpe dubiâ aut nullâ caussâ, hoc non ausus sit, adeò magnâ, adeò certâ? membranis maximè iu-

bentibus, quarum aliàs nimis apud eum celebre imperium.

P.295. *Critobulus inter medicos artis eximiæ* &c.

Scribe cum vulgatis reliqua, & sic interpunge: *sed in tanto periculo territus, manus admouere metuebat, ne in ipsius caput parum prospera curationis recideret euentus. Lacrumantem eum ac metuentem & solicitudine propemodum exsanguem rex conspexerat: Quid, inquit, quodue tempus exspectas?*

Pag.296. *Hinc certiorem spem salutis eius in castra retulerunt.*

Siue, *certior spe salutis eius in castra se retulerunt.*

Ibid. *Credisne, inquis, aduentu magis hostium, vt iam in vallo consisterent, quàm cura salutis tuæ, vt nunc est tibi vilis, nos esse sollicitos?*

Iam olim suspicionem hausi; quam neque dum reiicio penitus, etsi minus teneo firmiter, insitâ & insutâ bina ista esse vocabula *tibi vilis*. Sic enim absolutè loquebantur, & est locutus aliàs Curtius, *vt nunc est*. lib.5. *Hi qui modo ad opem petendam ex tenebris & carcere procedere erubuimus, vt nunc est, supplicia nostra, quorum nos pudeat magis an pœniteat incertum est, ostentare Græciæ velut latum spectaculum cupimus.* Vbi item boni interpretes addiderant, *vt nunc simplicitas nostra est.*

P.297. *Qui si adhuc de Persidis regno cum Dario dimicares, etsi nemo vellet, tamen ne admirari quidem posset, tam promta esse te ad omne discrimen audacia. Nam vbi paria sunt periculum ac pre-*

præmium &c.

Velut in Ixionis rota versatus & vexatus in hoc sum loco. Acumen eius diu & intentè quæsiui: nullus inueni. subestque fortasse nullum istis quidem, vt nunc legimus, verbis. Nam emendatione me tandem haud infeliciter expedisse videor, atque ita statuo totum de integro rescribendum: *Qui si adhuc de Persidis regno cũ Dario dimicares, etsi nemo vellet, tamẽ admittere quidem posset, tam promtæ esse te ad omne discrimen audaciæ (nam vbi paria sunt periculum ac præmium, & secundis rebus amplior fructus est, & aduersis solatium maius:) tuo verò capite ignobilem vicum emi quis ferat, non tuorum modo militum, sed vllius etiam gentis barbaræ, qui tuam magnitudinem norit?* Quid mutauerim, & quare, intelligens lector facile videbit, cui non opus est omnium omnes rationes red di: qui has hoc loco per se non videat, ei minus etiam est opus: quippe qui ne sic quidem sit visurus. Et quis adeò facem accendendam cœco putet?

P.299. *Hoc, si licuerit, ipse præstabo. Si me præceperit fatum, vos mandare mementote.*

Vulgò *mandasse*. quod cur mutatum? nisi forte *mandare* referunt ad *immortalitatem*: quasi dicat, vos mementote immortalitati Olympiadem mandare. At hoc nequaquam mihi quidem placeat, nec opinor alium inueniet, cui placere possit.

Pag. 300. *Et Bactriana arce, quæ quasi negligentius asseruata erat occupata, barbaros quoque in*

ſocietatem defectionis impulerant.

Quid ſibi vult in iſta re *quaſi*? Emendo *caſu*: pro quo ſolenni mutitatione literarum in antiquioribus libris ſcriptum erat *quaſu*, & hinc deinde *quaſi*. Caſu quodam & forte negligentius arx cuſtodita fuit. Ante hæc ſcribe, *ſpectare cœperant*, non *cœperunt*.

Ibid. *Itaq; Græci milites arma capiunt, occiſuri Biconem, ſi daretur occaſio. Ceteri principes eorum, iram multitudinis mitigauerunt.*

Emendo, *Ceterum.*

Ibid. *Ceterùm Boxum protinus placuit interſici, Biconem etiam per cruciatum necari.*

Vtrumque rectum, ſiue diuiſim duabus, ſiue vna voce iunctim legas *percruciatum*. hoc tamen opinor elegantius. Ita ſuprà alicubi corrigebam, *perarmatos hoſtes*: & adducebam familiaria Curtio, *percuratum*, itemque *perſanatum vulnus*. Eadem facie *percruciatum*, valet totum excruciatum.

P. 301. *Centum aurei lecti modicis interuallis poſiti erant. Lectis circumdederant aulæa purpura auroq; fulgentia: quidquid aut apud Perſas vetere luxu, aut apud Macedones noua immutatione corruptum erat, confuſis vtriusque gentis vitijs, in illo conuiuio oſtendens.*

Non temerè mutem *immutatione*: prorſus tamen *imitatione* ſcripſiſſe Curtium opinor, & id rei aptius mecum omnes fatebuntur. Aemulatus per omnia Perſas, patrios mores externorum imitatione frangebat. Etiam *circumdederat*

derat vnitatis numero legendum fortè, quia ſubditur eodem *oſtendens.*

P.303.*Indorum legati dimiſſi domos, paucis pòſt diebus cum donis reuertuntur.CCC.erãt equi mille XXX.currus, quos quadrijugi equi ducebant.*

Glareanus mutauit olim: *Mille erant equites, trecenti currus*: neſcio, id vnde. cui tamen Modius adhæret. Ac ſatis hoc curruum, ſatis equorum eſſe facilè vterque perſuaſerint mihi; nõ etiam de tot equitibus, vel omninò equitibus donatis: qui nulli leguntur in vllis adeò libris. Nam *equi*, non *equites*, omnes habent. Quòd ſi licentiâ eadem cõiectandi fas etiam vti nobis, maluerim ita potius, extrita prorſus equitum mentione: *CCC.erant currus, quos quadrijugi equi ducebant.* Hoc vnde, ſi lubet audire, dicam. Quę deleui, è gloſſa puto irrepſiſſe, ſed gloſſa nec ipſa incorrupta. Fuerit & huic, & corruptioni eius origo talis. Ad marginem libri ſui computarat aliquis & notarat numerum equorum, quot conficerent, ſi quadrijugi traxiſſent trecentos currus. Itaque ſcripſerat: *Equi mille* CC. quot omnino exſiſtũt è multiplicatione. Mox deinde librariorum errore centenarij notæ in denarij, quod facile, & paſſim in aliis ſæpiſſimè factum, cõuerſæ; & hæ cum duę eſſent, temerè porrò, vt iſti *fecundũ eſt ſemen adulterio*, tertia quoque acceſſit, vt in cõtextum deniq; pariter iſta reciperentur: *equi mille XXX.* quib. abactis & abiectis integrum eſſe locum minimo ſecus ipſe credo, neq; ferè dubitẽ eiuſdem ſententiæ au-

ctor aliis fieri,quib.liberum tamen iudiciũ relinquo,curã etiã diligentius inquirẽdimando, si quid aliunde certius erui potest. Nam quod ego vel alij attulimus, firmari testimonio nequit. Apud historiæ huius auctores frustra quærendo fui: quos cum anxiè antestari cuperem, auriculam opponere omnes recusarunt.

P.304. *Oxatres prætor Bactrianorum non absolutus modò, sed etiam iure amoris amplioris imperij donatus est finibus.*

Múltimodis peccat,ait Modius,qui non ita mecum legit.Quid ergo?nihil peccabit,qui sic planè?Ille verò,mea sentẽtia, nimio tãto plus: & plus etiam, qui lectionis eius auctor. Quid est illud,*iure amoris?* insulsum & sensu & sermone. At membranę *amoris* habuerunt:inde adeo id insertum.nam vulgò *iure* vbiq; habetur.Audio:sed tu audi vicissim, & permitte mihi arbitrium vtriusque. Cẽseo in membranis aut pro *amplioris*,scriptum illud ipsum *amoris*, aut idem ex eodem inscita repetitione rescriptum.Neç quidquam alterutra opinione verius.Hoc primum.*Iure* porrò vel è glossa alicuius est,qui Oxatren iure & iustè absolutum ad marginem notarat; vel potius ab iis insertum, qui τὸ *finibus*, distinctione praua, quæ hodieque visitur in vulgatis, initium periodi sequentis habebant,iungebantque cum *Musicanis*.Vtroque iã refutato, scribes: *sed etiam amplioris imperij donatus est finibus. Musicanis deinde in deditionem redactis* &c.

Pag.305. & 306. *Et forte inter promtißimos dimicans intactus euaserat.*

Necessario inferes, *intactus tamen euaserat.*

Pag.306. *Idem (Ptolemaus) corporiscustos promtißimusq; bellator, & pacis artibus, quam militiæ maior & clarior, modico ciuilique cultu, liberalis in primis, adituq; facilis, nihil ex fastu regiæ assumserat.*

Est hoc forte, sed mihi sincerum non videtur. Vti ne Ptolemæum pacis artibus quàm belli præstantiorem dicat? Vtraque laude pariter ornare, sed & pari voluisse putem: eoq; scribã, *nec militiæ quàm pacis artibus maior & clarior.* A virtute militari primùm commendauit: pacis artes mox subdit, ciuilem cultum, liberalitatem, facilitatem aditus, & quæ consequuntur hæc his consimilia. Tamẽ haud obstinatè relucter, & præualeat sanè, quod vulgatur: in quo magis ad exprimendum contrarium istum sensum faciat, si legatur, *sed pacis artib.*

Pag.307. *Ibi diutius subsistere coactus, quia duces socordius aßeruati profugerant, misit qui conquirerent alios: nec repertis, peruicax cupido inceßit visendi Oceanum adeundique terminos mundi, sine regionis peritis, flumini ignoto caput suum totq; fortißimorum virorum salutẽ permittere.*

Incõcinna structura, *visendi, adeundi,* & mox, *permittere.* Nisi alia desint (fortè ista, *vt non vereretur sine regionis peritis* &c.) ausim tentare, *vt flumini ignoto capút suum totq; f. v. s. permitteret.* Quod mihi tamen ipsi non magnopere probetur: al-

terum magis, quod aliis metuo audaciusculum visum iri. Proponam nihilominus: *peruicax cupido visendi Oceanum adeundiq; terminos mundi, ingessit, sine regionis peritis flumini ignoto c. s. t. f. v. s. permittere.* Non nũc sanè primum cupido eum incedebat: sed eadem quæ diu stimulauerat ad Oceanum terminosq; mundi progredi, nunc, ingerit, suadet, cogit vel sinè ducibus pergere, vt nec ignoto flumini se suosque credere vereatur.

Ibid. *Intellectum est, mare destinari ab ignaris naturæ eius.*

In isto etiam verbo sæpè hìc & alibi turbæ: Passim enim confundi videmus *designari & destinari.* Hìc alterũ nolim substitui: tuear, quod vulgatum. Itemq; hoc ipso libro: *Coniectum oculorum, quibus vt fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit.* Nam de illo lib. 4. valdè etiam ambigo: *Fama est, cum rex vrbis futuræ muros polenta, vt Macedonum mos est, designasset, auium greges aduolasse & polentam esse pastas.* Sic enim quidem Modius: at ego reiicere alterum non ausim, qui video tam multis locis tam frequenter vsurpatum, vt amasse id præ altero Curtius, & velut in deliciis habuisse videatur.

P. 308. *Tum aliam insulam medio amni sitam euecti paullò lenius, quia cursus æstu reuerberabatur, applicant classem, & ad commeatus petendos discurrunt.*

A membranis est hoc *reuerberabatur,* si Modio cedimus, cuius fidei nihil vsquam diffidò.

At germanum idem, non Modio, non membranis credo, quibus sæpe non possum credulitatem meam commodare, etsi alij pænè videntur addixisse. Quid is dicit, qui cursum verberari aut reuerberari dicit? hercule non intelligo. si nauem diceret, vtcunq; caperem, & ferrem, quamquam & sic ægrè. Mihi vero emendanda vox videtur, *referebatur*. Et vt sententia magis appareat, etiam scribo *lentius*, non *lenius*. Hoc enim inde perperam natum, quia præcedit: *leni adhuc æstu confundente dispares vndas*. Ait: lentius euectos, quia cursus æstu maris crebrescente retrò actus sit. Hoc enim est hîc referri. Plautus Asinar.

Remigio veloq; quantum poteris festina & fuge:
Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.

Thyeste, siue Senecæ, siue cuiuscunq;.

Sic incitatam remige & vento ratem
Aestus resistens remigi & vento refert.

Ouid. Epist. Cydippes ad Acont.

Ipsa velut nauis vector, quam certus in altum
Propellit Boreas; æstus & vnda refert.

Ibid. *Ignota vulgò freti natura erat, monstraq; & iræ Deûm indicia cernere videbantur, identidem intumescens mare, & in campos paullò ante siccos descendere superfusum.*

Si *intumescens* præmisit, cur non subdit & *descendens*? An *descendere* omittendum? Minime verò. Rescribe è vulgatis: *monstraq; & iræ Deûm i.e. videbantur. Identidem intumescere mare, & in campos*

pos p.a.f.descendere superfusum. Distinctione adiuuimus:& norunt vel pueri, qua forma capiendi hi,quos dicunt,modi infinitiui.

Ibid.*Hi contis nauigia pellebant, hi dum remos aptari prohibebant,considerant.*

Quæ(malum!) ratio postulauit, vt *pellebant* ederetur,non quomodo vulgo est, *appellebant?* Mens certè Curtij ista: in siccum aut vadum appulsa nauigia, vt conscendere expositi possent,non in altum propulsa. Sed reliqua manifeste etiam vbique vitiosa: quæ traductione vnius verbi corrigimus in hunc modum: *hi dum considerent,remos aptari prohibebant.*

Ibid.*Alia nauium inconsulte ruentes nō receperāt.*

Expeditior erat sensus in simplici, *ceperant*: pro quo tamen & compositum sæpe vsurpari, nec significatui quidquam addere præpositionem additam & alij pridem, & nos pueri non ita pridem ostendimus. Inconsultè ruentium agmina capere naues haud poterant, ita multitudo has,vt alias paucitas,morabatur.

P.313.*Omnium rerum solo fertilis regio est, in qua statiua habuit, vt vexatos milites quiete firmaret.*

Magna vero emendatio,*solo*, pro *sola.* Quin etiam *fertili* scribis.

Ibid.*Dum exploraret,quæ delata erant, in eodem honore habuit* &c.

Totum hoc cum iis quæ vtrinque proxima sunt,ita distingue:*Astaspis erat satrapes gentis, suspectus res nouare voluisse,dum in India rex est: quem*

occur-

occurrentem dißimulata ira comiter allocutus, dum exploraret, quæ delata erant, in eodem honore habuit. Cũ Indiæ præfecti, sicut imperatum erat, equorum iumentorumq́, iugalium &c. Sic enim addita copula scribes simul.

P.314. *Hoc modo per dies VII. bacchabundum agmẽ incessit. Parata præda, si quid victis saltem aduersus comessantes animi fuisset, mille hercule viri modò & sobrij VII. dierum crapula graues in suo triumpho capere potuerunt.*

De verbis rectè acutissimus Palmerius: de distinctione insuper habuit, quam curasse Modius debebat. Ita enim certè sentẽtia requirit, cuius non parum interest; aut si huius parum, multum certè verborum ipsorum, quæ fluũt, nec consistunt, nisi commode legitimis interpunctis teneantur: *Hoc modo per dies VII. bacchabundum agmen incessit, parata præda, si quid victis saltem aduersus comessantes animi fuisset. Mille hercule viri, modò & sobrij, VII. dierum crapula graues in suo triumpho capere potuerunt.*

VALEN-

VALENTIS ACIDALII

IN Q. CVRTII LIBRVM X. ANIMADVERSIONES.

AD DAVIDEM AICHEVSERVM iuuenem nobiliß. doctiß.



Fvit omninò singulare fatum eius diei, quo cùm Patauium ego & Bucretius noster primùm veniremus, vrbem vix ipsam ingressis tu statim, nobilissime Aicheusere, velut cælo missus, obuiam fuisti. Memineris enim, quomodò rudes & ignari omnium rerum hospites, non locorum tantùm, sed & hominum insolentes, cumque sermonem miscere cum nemine possemus, quò nos verteremus, incerti, in ipsa platea, deambulanti commodùm tibi, bono nostro fato, occurreremus. vbi agnitus à Bucretio, & ipsum vltro agnoscens, me vnà, quamuis ignotum, cõplexus es, & vtrumque domum deduxisti tuam, cumq; ad te planè recepisses, omnia fecisti nobis, quæ comissimus hospes amicis hospitibus præstare posset. Erat hoc memorabile, quod sæpè, nec vnquam sine magna voluptate recordor, initium notitiæ nostræ, sed idem & amicitiæ, quam mensium mox aliquot conuictus iucundissimus cõfirma-

firmauit. Ibi tum familiarius inuicem noscentes, arctè sanè coniuncti sumus, cùm tu nescio quid in me literarum suspiceres, ego contrà virtutem doctrinamq; tuam pariter amarem & admirarer. Sed nihil te, si verum dici vis, nihil te mihi validius conciliabat, quàm quod ita familiarem te GVLIELMIO *nostro & antè in Germania, & deinceps in Gallijs etiam domesticum fuisse intelligerem:* GVLIELMO *nostro, cuius ego nunquam visi memoriam laudatissimam sic amo, sic mortem immaturam doleo, nihil vt eius nomine dulcius simul & tristius habeam. O Musæ, magnum in eo præsidium vos, tu Germania nostra magnum ornamentum, ac nescio, an non vnicum, amisisti! Verùm hoc & questi inter nos sæpe tum sumus, & ego quotidie morsus animi vehementes ex eo adhuc sentio, quos neque dum viuam effugiam: & tu non minus æternum vulnus alis pro pietate ista tua vel in amicum talem, vel in ipsam patriam communem: cui me tamen Fortuna siue Natura propius admouit, & popularem ei magis fecit. Vnde non negabo stimulos acres mihi subijci illum æmulandi in his studijs, si vestigia eius rectè legere, & assequi progressus ipsos aliquando possim, quo viri docti me sanè etiam*

vocant,

vocant, & dum hortantur, etsi mihi ipsi diffidentem me, nec sperantem satis, ad quod aspiro, tamen audent eius geminum vel ipsum alterum augurari. Viderint illi, quem me faciant: ego vt adhuc nescio, qui esse possim, aut sim futurus: ita qui velim quidem esse scio, nec vt sim deero ipse mihi, dum alia non desint, sine quibus eniti & euadere illò non possum. Iis destituto minus mihi turpe & ipse ducam, & alij ducent, non peruenisse, quo contenderim: quùm per me non steterit, vt steterim intra metam præstitutam. Sed de me non erat hîc propositum dicere: ad te & Gulielmium redeo. cuius tu mihi mores, vitam, studia cupidè & sollicitè quærenti cùm sæpè describeres; mortis etiam genus & suprema ipsa, quibus interfuisses, aliquoties non sine lacrumis & mærore vellicante nec sine titillantis tamen aliquo etiam voluptatis sensu audienti denarrares; aliaque de literis, & Italia ipsa varie iucundeque inter nos agitaremus; effluxit interea nimis subito tempus illud omne, quod isti & vrbi & regioni dare decreueras, nobis dolentibus, qui perpetuo vellemus suauitate conuersationis tuæ frui, nec dimissuri te videremur, si tenere possemus, quo carituri non essemus absque

magna

magna molestia, cum difficultate etiam nonnulla, non assueti scilicet adhuc satis Italicæ vitæ; cuius ex te velut exemplo modum imitabamur. Sed ita tum rerum tuarum rationes te reuocabant, vt studiorum nostrorum nos retinebant. Aegrè igitur isthinc te dimisimus, quem hîc tamen ab interuallo non nimis magno feliciter assecuti recuperauimus, & amici conuiuimus iterum; etsi minùs familiariter, quod neque nunc aliter potest, vbi ædibus disiuncti, tu in re domestica occupatior, nos in studijs partim; partim alijs negotijs dediti non tam frequenter vnà esse quimus. Sumus tamen haud raro; Bucretius præcipuè, cui ventitandi ad te crebrior occasio: neque mihi tamen non constat amicitiæ tuæ fructus, quem omni tu comitate colis, officijs varijs ornas, cumulas etiam multis beneficijs: quorum ego non postremum illud habeo, præ ceteris hoc quidem loco prædicandum duco, quod bibliothecam instructissimam tuam ita mihi patere vis; vt tibi ipsi, communemque facis & paullo minus quàm mihi propriam: quâ vtor; ita te iubente, sanè audacter, & magna profecto cum vtilitate meorum studiorum. Adiuuit illa non nihil hunc etiam in Q.

Curtio

Curtio laborem meum: cuius eo ipso quoque nomine postremum istum librum tibi do, dico, consecro: quem volens accipies, & habebis non amicitiæ tantum nostræ qualecunque monumentum, sed & gratitudinis meæ quantumuis leue & vile, magnæ tamen & eximiæ testamentum.

VALEN-

VAL. ACIDALII
AD Q. CVRTII LIBRVM X. ANIMADVERSIONES.



Entum aliquando eſt ad extremum librum, ad quem per aſpera multa & prærupta eniſis in ipſo ſunt etiam non plana & inuia quædam, quę cum bono Mercurio facile peruademus. Nec diu hîc luctabimur, quando pauca ſunt, quæ nos quidem viderimus: nec multo ſane plura crediderim ineſſe, quibus ab ingenio poſſit auxilium afferri. Nam lacunas explere, & deperdita membra reſtaurare,

οὐκ ἀσκληπιάδαις τοῦτό γ᾽ ἔδωκε θεός.

Fecimus tamen ſemel hîc nos, imo nec fecimus: quia non erat locus mutilus, quem integrauimus, ſed falsò pro mutilo inſignitus. Demſimus igitur inuſtam ſaltem notam, & ab impoſito ſtigmate vindicauimus: quod rectè atque ordine factum apparebit, cum erimus eò progreſſi καὶ τόδε μὲν δὴ προοίμιον, ὡς ἔφη τις τοῦ νόμου. Nam aliud hîc ponere non ſuſtinui, vt ad reliquos libros: vbi forte videbor abſurda collocaſſe. Non tamen ambitioſe vſquam fecimus aut in pompam, ſed vt ex re præſenti naſcerentur, vel vt habitus animi mei eſſet, cum quemque ordiremur. Atq; hoc nunc ipſum in mētem veniebat heic ex re ipſa anteloquij vi-

 cem

tem breuiter præfari: dum respiro paullisper & paro me ad reliquum cursum, quo vno & continuo extremum hoc spatium decurram.

P.315. & 316. *Insulā ostio amnis subiectam auro abundare, inopem equorum esse. singulos eos compererant ab iis qui ex continenti traiicere auderent, singulis talentis emi.*

Vnde *compererant* hîc insertum? ex ingenio, an membranis? Vellem, vt alia Modius, hoc quoque professus esset. Atqui vnde vnde; si ab auctore etiã fuit, equidem in principio ille statim, non in medio collocasset. Proinde aut eò reuoca, aut dele rursum, quod optimum fortasse factum. Plenus etiam ita sensus. Nam omnia hæc intelligere vltro debemus ipsos in re præsenti comperisse: cætera, quæ deinceps, ab aliis audisse.

Ibid. *Rursus eos terram legere iubet, donec ad Euphratis appellerent classem, inde aduerso amne Babylona subituros.*

In membranis fuit *Euphratis*: addendum fuit igitur etiam *os*: quæ vocula videatur in illius extrema syllaba latere.

Pag.317. *Namque gentis eiusdem leuissimos falsis criminibus astruxit, monitos tum demum ea deferre, cum ipse iussisset.*

Non puto *astruere* vsquam reperiri pro subornare, vel submittere; & si reperiatur, hîc tamen scribi rectius existimo *instruxit*. Crimina composuit & eos docuit, quæ deferrent quo tempore ipse demum iussisset.

P.319.

Pag.319. *Sic scilicet res secundæ valent commutare naturam, & raro quisquam erga bona sua satis cautus est.*

In re pæne simili similis omnino loquendi modus lib.8. *Regis minus iam cupiditatibus suis imperantis inter obsequia fortunæ, contra quam non satis cauta mortalitas est.*

Ibid. *Humiliores quoque reos contra suam voluntatem, quia ceteris videbantur insontes passus absolui, hostibus victis regna reduxerat.*

Curtianum hoc non est, Modianum est, qui tamen auctorem Coloniensem MS.otum laudat. Vulgus librorum habet, *regnare dixerat.* Inde ego, *regnare didicerat.* Acerba irrisio est, in contrarium accipienda. summæ antea moderationis rex, & verè rex, Victor tandem rex esse didicerat: quasi id verò regium, non ex æquo & iure agere, sed pro sua aut aliorum libidine grassari. Probabis hoc? an illud magis? Nã ecce, dum commentamur, incidit, *regnari didicerat.* Hostibus victis ipse victus regnabatur. quomodo? subiungit: *vt aduersus libidinem animi arbitrio scorti aliis regna daret, aliis vitam.* Vt fatear, ipse mihi non satisfacio in hac festinatione.

P.321. *Tum demum fide facta professi sunt.*

Modius ita: vulgò, *facta professio est:* quorum ille verborum nullum ait esse sensum posse. fuerit imò idem, qui alterius lectionis, si *facta* geminetur: *Tum demum fide factâ facta professio est.* Nam ipsa vox nisi geminetur, bis eam intelligi, quod Glareanus censuit, ineptum est.

Ibid. *Ille, Quid hæc, inquit, repens consternatio, & tam procax atq; effusa licentia denunciat.*

Sic in carmine libero, quod Tibullo adscribunt:

Quid hoc rei est? quid ira nuntiat Deûm?

Vbi malè alius, *nunc ciet*, pro *nuntiat*. Sed in Curtio quod statim sequitur: *Eloqui timeo palam certè rupistis imperium, & precariò rex sum, cui non alloquendi, non noscendi monendique aut intuendi vos ius reliquistis*: non moueam quidquam temerè: sed an non elegantius paruula distinctio fecerit? ad hoc inquam exemplum: *Eloqui timeo, palam certè. Rupistis imperium, & precariò rex sum.* Mihi placeat hæsitantis & verecundantis affectus iste: nec tamen, vt dixi, velim receptam lectionem mutare. Palam enim imperium ruperant, qui *tumultuoso clamore & militari violentia volentem loqui inhibebant. palam professi nusquam inde nisi in patriam vestigium esse moturos.* At timendi verbum, vt nos hîc volebamus, alibi quoque Curtio in pudoris intellectu. lib. 4. *Num quod maxime suspicor, & loqui timeo, ludibria meorum nuntiaturus es mihi?* Ceterum non me præterit, in editione Modij *metuo* esse: *timeo* tamen ego retineo, quod est in omnibus vulgatis, & temerè mutatum ab illo censeo.

Ibidem. *Tam illos acclamantes video, qui abituri sunt.*

Seu potius, *occlamantes.*

P. 322. *Omnem hercule spem, quam ex vobis conceperam damno: nec vt cum militibus meis (iam enim*

nim esse destitistis) sed vt cum ingratißimis oportet agere decreui.

Ineptissima Modio vulgata: mihi neq; hæc multò aptiora. Vtrinque ego interpolo: *Omnem hercule sp.q.e.v.c.d.n.vt c.m.meis (iam e.e.desistis) sed vt cum ingratis ciuibus porrò agere decreui.* Vide mihi ductus literarum, & erroris occasionem; & emendationis agnosces rationem. Paullò post: *Neminem teneo: liberate oculos meos ingratißimi ciues.*

Ibid. *Hoc cultu nitentes vos accepi, & D. talenta æris alieni, cum omnis regia supellex haud amplius, quàm LX. talentorum esset, meorum mox operum fundamenta, quibus tamen absit inuidia, imperium maximæ terrarũ partis imposui.*

Vt ordine capias, inuidiæ deprecationem parenthesi include: *quibus tamen (absit inuidia) imp.m.t.p.imposui.* Nam absolutè efferenda ista, & τὸ *quibus* ad *fundamenta* referendum, vt fundamentis iis imperiũ se dicat imposuisse. Hiulca & sententia aliàs & structura.

Ibid. *Asiane pertæsum est? quæ vos gloria rerum gestarum Diis pares fecit?*

Ne & hîc seducaris, expunge interrogationis alteram in medio notam, quæ superuacua, & turbat etiam sensum. Non iunges enim *quæ gloria*, neque casu accipies vtrumque nominandi: sed hoc auferendi, illud nominandi quidem, sed vt ad *Asia* referatur.

Ibi. *In Europam ire properatis rege deserto, cum pluribus vestrum defuturum viaticum fuerit, ni æs*

alienum luissem, nempe ex Asiatica præda.

Bene ista Modius. Quia tamen vbique *in*, nō *ex*; an non putes retineri potuisse? Sic scilicet hoc dictum fuerit, vt apud Senecam, *In aspero & probo soluere*: & apud alios cum idem hoc, tum alia ad eam faciem plura.

P. 323. *Desiluit deinde frendens de tribunali, & in medium armatorum agmen se immisit, notans quoque, qui ferocissimè oblocuti erant, singulos manu corripuit.*

Sola hæc editio, *notans*; aliæ, *notatos*: quod profectò melius. Sed verum opinor est; *notatisque, qui ferocissime ob. erant.* id est, cum vel quoniam notasset eos sibi inter ipsam orationem.

Ibid. *Quis crederet sauam paullo ante concionem obtorpuisse subito metu, cum ad supplicium videret trahi, nihil ausos grauiora quam ceteros?*

Scribe iunctim: *cum ad supplicium videret trahi nihilo ausos grauiora quam ceteros.* De cetero; subla ta hîc à Modio deinceps rectè, quæ pro Curtianis diu se gesserant, etiam post iudicium Glareani: nec abest, quin paucula quædam auctoris absint & desint. Lugdunensis autem editor qualis hic? sui, vt vbique, similis. Alia eiecit, retinuit alia: plusculis etiam stigmatis locū insussit. Parabam iterum in eum dicere: sed mittamus hominem, quia vt video, neque corrigi à nobis sic potest, & est prorsus ex eo genere, vt, ignominiâ consumtâ, planè iam sine iactura sui peccet.

Ibid. *Siue regij nominis, quod gentes quæ sub regibus*

bus sunt, inter deos colunt, siue propria ipsius veneratio &c.

Confer hæc illis lib.3. *Namque haud facile dictu est, præter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum huius vtique regis vel admiratione dediti ei fuerint, vel caritate flagrauerint(*

P.324. *Hoc ego non nunc primùm profiteor, sed olim scio.*

Negans particula, *non*, eiicienda: quam pugnare in sententiam Alexandri miror ab aliis non animaduersum. Iam olim, inquit, ita sensi, sed nunc primum aperio. Manifestum nimis hoc, & quod vltrò se prodit: huc vsque tamen (quî nisi clausis oculis?) prætéritum.

P.329. *Modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale desiderium vsus, nec vlla nisi ex permisso voluptas: ingentes profectò dotes erant.*

Ingentes omninò, & adde vel maximæ: languidum tamen nimis illud, certè non sincerū. Ego ἀνεγδοιάστως rescribo, *ingenij*. In tres veluti classes vitia virtutesque Alexandri suprà digestæ: in naturam, fortunam, ætatem. Verba vide: *Et hercule iustè æstimantibus regem liquet bona naturæ eius fuisse, vitia vel fortunæ vel ætatis.* Bona naturæ enumerata inde, *Vis incredibilis animi,* ad hæc vsque nunc à nobis emendata: quibus & pendet structura superiorum omnis & connexus. Vitia, quæ fortunæ asscribit, his porrò memorat: *Illa fortunæ, dijs æquare se & cælestes honores accersere.* &c. Quæ ætati, illis complectitur: *Nam iracundiam & cupiditatem vini sicut iuuen-*

ta irritauerat, ita senectus mitigare potuisset. Hac distributione firmari coniecturam nostram omnes vident. Addenda enim & sua nota virtutibus fuerat in prima classe, quæ nulla, si *ingentes* retinetur. pro quo erit fortasse, qui *ingenita* facilius in eandem mentem scribi posse censeat: à quo non dissentiam, hactenus, vt possit; vt & debeat, dissentiam omninò. Ingenium & naturam eadem tum probem, si nescire elegantiorem quenquam putem.

P. 332. *Nec Dij siuerint (inquit) vt Alexandri fortuna, tantique regni fastigium in istos humeros ruat: homines certè non ferent.*

Suspectum hoc mihi: neque dum istud planè probo: *in istius humeros ruat hominis: certè non ferent.*

P. 334. *Rursus Philippum trahens secum irrupit in regiam, clamitans suffragari reipublicæ de nouo rege paullo ante concepto.* * *robur ætatis experirentur, modo stirpem Philippi, & filium ac fratrem regum duorum sibimet ipsis potissimum crederent.*

Stigmatiam hunc quoque locum Modius fecit & *πηρώσεως* arguit, sed hunc profectò sine caussa. Non mutilus enim ille aut mancus, sed à scriptura & interpunctione saltem corruptus. Vt debilis videretur, ista fecerunt, *de nouo rege paullo ante concepto*: quæ intellecta de Roxanes imminente partu: nec aliter potuerunt. sed nec ita verè potuerunt, quia *suffragari* præcesserat, quod verbum Meleager non vsurpa-

ret, si de non nato adhuc nato loqueretur. Ille enim Roxanes filium approbaret, cõtra quem nitebatur, Aridęum ambitiosè ingerens, & intrudens seditiosè? De hoc ipso scilicet hîc agit, & legendum igitur non *concepto*, sed *recepto*. Receptus enim is paullo antè, & Philippus consalutatus, quamquam mox idem reprobatus. Sed vt & reliqua conueniant huic sententiæ, sic locus integer, qui certè sic erit integer, rescribendus: *Rursus Philippum trahens secum irrupit in regiam, clamitans, suffragari reipublicæ de nouo rege paullo ante recepto robur ætatis: experirentur modo stirpem Philippi, & filium ac fratrem regum duorum: sibimet ipsis potissimum crederent. Nullum profundum mare* &c. Plana nunc & plena omnia, nec vsquã abruptum quid aut præruptum.

Ibid. *Pauci Perdiccæ modo electo, plures Philippo quàm sperauerant, imperium dabant.*

Sententia poscit & res, *quem spreuerant*: etsi de re quid obiici possit, video. Sed huic variatio consiliorum vicissim obiicitur, quam subiungit auctor eleganter: *Nec velle nec nolle quidquam diu poterant, pœnitebatque modo consilij, modo pœnitentiæ ipsius.* Orationis quidem filum huc ducit, vt modò electus, modò spretus opponantur. Atque ego, vt conieci, statuo prorsus emendandum.

Ibid. *Sequitur phalanx hastis clypeos quatiens, expletura se sanguine illorum, qui affectauerant nihil ad ipsos pertinens regnum: in eadem domo familiaque imperij vires remansuras esse: hæreditarium*

tarium imperium stirpem regiam vindicaturam &c.

Benè Modius & *sequitur* huc retraxit, & *mitigabatur* ac *gaudebant* eiecit. illud nō benè, quòd *expletura* mutauit. Eâdem enim ellipticâ formâ *expleturam* capere debuit, qua reliqua, *remansuras, vindicaturam*. Porrò hoc quoque monebo, pro *vires* legendum mihi videri *vices*. Quin & deleuerim *esse*, quod abest venustius & hoc loco, vti reliquis, qui sunt hîc in eadem naui.

P. 336. *Atque ille seditione prouisa, cum regem adisset, interrogare eum cœpit, an Perdiccam comprehendi ipse iussisset. Ille ipsius instinctu se iussisse respondit. Ceterum non debere tumultuari eos: Perdiccam enim viuere.*

Insignis audacià est huius mutationis, & proximè ad culpam temeritatis accedens: de qua ne monere quidem nos dignati sunt tamen, vt re certâ prorsus, extraque omnem controuersiam positâ. Ecce in vnitatis numerum omnia verterunt, vt de Meleagro, si Dijs placet, ipso capiamus, qui vltò regem adiens, an auctor intentati Perdiccæ fuerit exitij, interrogârit: cùm vulgati numerum multitudinis omnes exhibeât, & de multitudine militari intelligi planè velint. Quid autem eos non coëgit dicam, sed mouit? An historiæ fides? nihil minus. Vna iste vocula, vt video, *prouisa*: quam videbant rei nullo modo conuenire. Neque conuenit illa certè: quî enim prouidere seditionem dici debent aut possunt ipsi seditio-

ditionis auctores, & iam manifestè tumultuantes? At emendanda igitur hæc, non reliqua peruertenda. Faciam ego, quod illi minus potuerunt, ac vicem eius rescribo, *professâ*. Palàm enim seditionem profitebantur aditione simul & interrogatione tam tumultuosa. Qui primitus mutarunt, patiendi significatum ferre & concoquere non potuerunt in voce, quæ flexum haberet eum saltem, ceterùm agendi notionem. At quàm multa talia ad idem exemplum ab omnibus passim vsurpentur, omnes iam norunt vel primas literas docti. Tu me sequere, intelligens lector, & totum locum, quà ex vulgatis libris, quà ab ingenio nostro restitutum ita scribe: *Postero die indigna res Macedonibus videbatur Perdiccam ad mortis periculum adductum & Meleagri temeritatem armis vltum ire decreuerant. Atque illi seditione professâ cum regem adijssent, interrogare eum cœpere, an Perdiccam comprehendi ipse iussisset. Ille Meleagri instinctu se iussisse respondit: ceterum non debere tumult.*

Pag. 337. *Sed ingens sua sponte mœstitia vltimæ desperationis index erat, suspectique inuicem non adire propius, non colloqui audebant, secretas cogitationes intra se quoque voluentes.*

Vel *quisq;* scribe, cui *voluentes*; vel *voluente*, cui respondeat *quoque*, id est vnoquoque.

Ibid. *Et ex comparatione regis noui desiderium excitabatur amissi. Vbi ille esset, cuius imperium, cuius auspicium secuti erant, requirebant. Destitutos se inter infestas indomitasque gentes, expetituras*

petituras tot cladium suarum pœnas, quandocunque oblata esset occasio.

Fallor, an hoc quoque insititium *requirebant*? Omnino est ex illis exemplis, de quibus egimus & supra sæpe, & hic paullò antè. Nimirum auctor subiicere lectorem sibi ipsum talia voluit, quę de industria exprimere supersedit. Distinguatur ergo: *desiderium excitabatur amissi: vbi illum esse, cuius i.c.a. secuti erant? destitutos se* &c. Ceterum illi nunc diffido, quod in reliquis olim conabar: *quando tanta oblata esset occasio.* Occasionem interpretabar ipsam mortem Alexandri. Non male quidem, etsi fortè frustrà.

Ibid. *Itaque inopia primum, deinde fames esse cœpit.*

Non ego ausim, quod audacior aliquis & acutior. *fames excepit.* Simplicitas hic mihi placet: qui memini fere semper à Curtio id verbum in re tali poni. li. 4. *Copia aliarum quoque rerum abundare cœperunt.* lib. 9 *Deinde ad vltimum famem sentire cœperunt.*

Pag. 338. *Ingentem spem indolis ante eum diem fratris claritate suppressam, ea moderata excitauit oratio.*

Melius credo, *suppressa*: imo non credo, sed scio.

P. 343. *Vim autem veneni, quod in Macedonia gignitur, talem esse constat vt ferrum quoque exurat: vngula iumenti duntaxat patiens esse constat. Stygem appellant fontem, ex quo pestiferum virus emanat.*

Pulcram

Pulcram emendationem in turpi mendo ad finem mihi reliquerunt. Quomodò autem reliquerunt? fato fortassis aliquo. Nam aliàs nisi cœci profectò præterire non potuerunt manifestam repetitionem binarum vocum, quæ è superiore linea in proximam insertæ. Expulsis iis scribe: *Vim autem veneni, quod in Macedonia gignitur, talem esse constat, vt ferrum quoquè exurat, vngulæ iumenti duntaxat patiens. Stygem appellant fontem* &c. Si vim Curtio vllam facio hac audacia, manes eius iratos ipse mihi imprecor, qui pœnas de me condignas sumant nullo respectu reliquorum, si quę sunt, nec esse nulla scio, meritorum in ipsum meorum: quibus omnibus vnâ istâ culpâ gratiam omnem patiar derogari.

FINIS.

FRANCOFVRTI
APVD IOANNEM FEYR-
ABEND, IMPENSIS HEN-
rici Osthausij Iunioris.

Anno M. D. XCIIII.

